ΧΑΡΙΣ

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

OTTO LOEW
CAMBERGENSIS (BORVSSVS)

MARPVRGI CATTORVM
TYPIS ACADEMICIS IOH. AVG. KOCH
MCMVIII

Dissertatio referente Ernesto Maass P. P. O. ab amplissimo philosophorum ordine probata die XXII. mensis Maii anni MCMVIII.

PARENTIBVS OPTIMIS

Argumentationis conspectus.

I. Opusculum nostrum a duobus orsum est locis ubi nomen χάρις cum verbo χαίρειν ita ut alterum excipiatur altero coniungitur; qua re in hoc nomine laetandi notionem qualicunque ratione sentiri et sententiis locorum et vocabulis ipsis, quibus radix χαρ eadem insit, apparet. Deinde quanam ratione haec laetandi notio vocabulo χάρις subiceretur aliis exemplis interpretandis et disponendis invenire conabar eo consilio, ut e vario vocabuli usu significationem primariam constituerem. Loco Hippocrateo quem attuleram nomen χάρις cum verbo χαίρειν coniunctum rem significare qua quis alium laetificat sententia apparuerat; quae interpretatio similibus locis confirmata est, quorum e sententiis quomodo χάρις cum laetandi notione cohaereret accuratius definire potui: χάρις his locis est factum quo quis laetitiam parat. Neque ea re quod multis locis χάριν nostro „Dank" vertere solemus, in dubitationem induci debemus; de Graecorum in hac re cogitandi et dicendi ratione a nostra diversa longiore inquisitione disserui. — Omnibus his locis χάρις erat factum laetificans; sequuntur loci, ubi singulum factum esse non potest, sed condicio debet esse, ea scilicet condicio qua quis alium laetitia afficit: χάρις virtus sive animi sive corporis sive utriusque est; amabilitatem et venustatem, quandoquidem hae virtutes laetos reddunt homines, significat. Quae ratio intercedat inter χάριν et pulchritudinem quaque re χάρις et nostrum „Anmut" inter se differant demonstratur: χάρις pulchritudinis vis laetificatrix est quae eam quasi

comitatur, secernenda ab ipsius pulchritudinis notione; non est certum pulchritudinis genus. Aliis quoque in rebus χάρις id est quod ad ceteram rei naturam accedens hanc rem laetificantem reddit. Quae χάρις insuper accedens a Platone accuratius explicatur de leg. II p. 667 B sqq.; cuius testimonium gravissimum planiore disputatione interpretatus sum. Plurimi Graecis aestimata est haec vis laetificatrix insuper accedens; ea deficiente perfectae et absolutae res esse non possunt: χάρις consummatrix est. — Quibus exemplis omnibus primaria vocabuli significatio apparet: χάρις in universum id est quod laetitiam efficit (transitiva et activa vi), non laetitia ipsa (intransitive). Laetitiam ipsam χαρά significat. — Qua vocabuli χάρις significatione primaria inventa eos locos ubi haec notio minus aperta vel singulari quadam usurpata est ratione interpretatus sum; planius disserendum erat de accusativo χάριν appositionis loco usurpato.

II. Postquam priore capite notionem variumque usum vocabuli in universum constitui, altero capite in proprietates inquisivi singulorum scriptorum, quorum, cum vocabuli χάρις notio rei qualicunque ratione laetitiam efficientis satis universalis sit, apud alium alia huius notionis pars praevalet. Dispositio huius capitis ipsa inquisitionis natura praefinita erat: per singulos scriptores rem tractavi. — De deabus quae Χάριτες appellantur praecipue hoc altero capite egi, non quo substantivum χάριν et deas Χάριτας secernenda esse putarem, sed quod natura harum dearum, quae apud alium scriptorem cum alia imagine aliisque moribus coniunctae sint, nimium variata est quam ut idonea videatur esse ad principalem vocabuli notionem explicandam.

Appendicis loco de lucendi notione quae radici χαρ inesse dicitur disserui.

In exemplis et testimoniis colligendis imprimis respexi Homerum, poetas lyricos, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Aristophanem, Platonem, Menandrum, Callimachum, Theocritum. Ingentem locorum copiam afferre nec potui nec volui, cum multis saepe exemplis eadem res confirmaretur. Praeter hos scriptores ex aliis quoque nonnulla desumpsi quae idonea mihi ad rem illustrandam viderentur.

I.

In Euripidis Ione regi Xutho, qui Ionem puerum, postquam eum esse filium suum cognovit, Athenas secum ducturus est, ut dignitatis regiae eum participem faciat, Io respondet (v. 646):

ἔα δ' ἔμ' αὐτοῦ ζῆν· ἴση γὰρ ἡ χάρις
μεγάλοισι χαίρειν σμικρά θ' ἡδέως ἔχειν.

Nomen *χάρις* verbis *χαίρειν* et *ἡδέως ἔχειν* per appositionem excipitur; laetandi igitur notio aliqua ratione in eo sentitur. Neque modo e sententia loci sed etiam e forma vocabulorum, radice *χαρ* eadem, concludendum est vocabulis *χάρις* et *χαίρειν* eandem insitam esse notionem.

Hippocrates in libello qui inscribitur *περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων* dicit (cap. 22, pag. 65 ed. Kühlewein): *τιμώμενοι χαίρουσιν οἱ θεοὶ καὶ θαυμαζόμενοι ὑπ' ἀνθρώπων καὶ ἀντὶ τούτων χάριτας ἀποδιδόασιν.* Isto *ἀπό* in *ἀποδιδόασιν* apparet deos aliquid reddere; antea igitur aliquid iis datum erat. Scriptor, cum dicit *χαίρουσιν οἱ θεοί*, istis *χάρισι* quae redduntur verbum eiusdem radicis non sine certo consilio opponit. Di igitur illis hominum honoribus et admirationibus aliquid quod laetificet antea acceperunt (qua de causa laetantur, *χαίρουσιν*) et pro iis „*ἀντὶ τούτων*“ (quae sint illa „*ταῦτα*“

iis quae antecedunt dicitur: *τιμώμενοι καὶ θαυμαζόμενοι χαίρουσιν*) reddunt (*ἀποδιδόασιν*) res laetificantes. — Nos si vertentes notionem gratiae inserimus relatae (Germanice „Dank", quod a cogitando dicimus) cavere debemus, ne hanc notionem vocabulo Graeco putemus inesse.

Vocabulo *χάρις* laetandi notionem qualicunque ratione inesse his locis apparet et sententia et forma coniunctis vocabulis *χάρις* et *χαίρειν*. Loco Hippocrateo *χάριτας* esse res laetificantes (quae hoc quidem loco casu erant res laetificantes redditae) ex loci sententia interpretati sumus. Si recta est haec interpretatio, vocabulum *χάρις* non modo rem laetificantem redditam sed etiam rem laetificantem primo datam, i. e. rem gratam, significare necesse est:

Eur. Herc. 321. Amphitruo:

μίαν δὲ νῷν δὸς χάριν, ἄναξ, ἱκνούμεθα·
κτεῖνόν με καὶ τήνδ' ἀθλίαν παίδων πάρος.

et paulo post, v. 327, Megara dicit:

κἀγώ σ' ἱκνοῦμαι χάριτι προσθεῖναι χάριν,
ἡμῖν ἵν' ἀμφοῖν εἷς ὑπουργήσῃς διπλᾶ·
κόσμον πάρες μοι παισὶ προσθεῖναι νεκρῶν.

Od. 5, 307: *τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο*
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ χάριν Ἀτρεΐδῃσι φέροντες.

Plat. Soph. p. 217 C: *μὴ τοίνυν, ὦ ξένε, ἡμῶν τήν γε πρώτην αἰτησάντων χάριν ἀπαρνηθεὶς γένῃ, τοσόνδε δ' ἡμῖν φράζε.*

Eur. Ion. 914: *ἰὼ κακὸς εὐνάτωρ,*
ὃς τῷ μὲν ἐμῷ νυμφεύτᾳ
χάριν οὐ προλαβὼν
παῖδ' εἰς οἴκους οἰκίζεις·
ὁ δ' ἐμὸς γενέτας καὶ σός . . . ἔρρει.

His locis *χάρις* est factum quo quis laetitiam parat, vel gratia laetificans qua quis alium afficit (Germ. „Gefälligkeit"). Pluralis quoque invenitur, si complura facta grata sunt:

Eur. Iph. Aul. 1222:

πρώτη σ' ἐκάλεσα πατέρα καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ·

πρώτη δὲ γόνασι σοῖσι σῶμα δοῦσ' ἐμὸν
φίλας χάριτας ἔδωκα κἀντεδεξάμην.

Eur. Orest. 244. Orestes Electrae, quae Menelaum venisse dixit, respondet:

πῶς εἶπας; ἥκει φῶς ἐμοῖς καὶ σοῖς κακοῖς
ἀνὴρ ὁμογενὴς καὶ χάριτας ἔχων πατρός;

Menelaus χάριτας habet ab Agamemnone acceptas. Qua de causa Orestes v. 453 ab eo petit, ut reddat et solvat (cf. ἐκτίνειν) has χάριτας πατρῴας:

ἀλλ' ἀντιλάζου καὶ πόνων ἐν τῷ μέρει
χάριτας πατρῴας ἐκτίνων ἐς οὕς σε δεῖ.

Non dicit: „da nobis χάριτας pro iis quae a patre nostro tibi datae sunt“, sed „r e fer nobis eas χάριτας quas pater tibi dedit.“

Hecuba postquam Ulixem admonuit se eum, cum Troiam venisset speculator, servavisse (qua re ei χάριν dederat Hecuba) his verbis pergit:

Eur. Hec. 276: ἀνθάπτομαί σου τῶνδε τῶν αὐτῶν ἐγὼ
χάριν τ' ἀπαιτῶ τὴν τόθ', ἱκετεύω τέ σε,
μή . . .

i. e. „r e posco gratificationem tunc factam“. Nos dicere solemus: „gratificationem remunerantem (vel gratiam) posco p r o illa gratificatione tunc facta“.

χάρις igitur apud aliquem deponitur (cf. κατατίθεσθαι), ut postea sicut pecunia credita repeti possit. Atque ipsum hoc verbum κατατίθεσθαι hac in re usurpatur:

Plat. Cratyl. p. 391 B: ὀρθοτάτη μὲν τῆς σκέψεως, ὦ ἑταῖρε, μετὰ τῶν ἐπισταμένων, χρήματα ἐκείνοις τελοῦντα καὶ χάριτας κατατιθέμενον.

Is qui depositum illud factum gratum nondum reddidit, debet illud, „ὀφείλει τὴν χάριν“:

Soph. Ant. 331: καὶ νῦν γὰρ ἐκτὸς ἐλπίδος γνώμης τ' ἐμῆς
σωθεὶς ὀφείλω τοῖς θεοῖς πολλὴν χάριν.

Aesch. Prom. 985. Mercurio dicenti „*ἐρεῖν ἔοικας οὐδὲν ὧν χρήζει πατήρ*“ Prometheus respondet:

καὶ μὴν ὀφείλων γ' ἂν τίνοιμ' αὐτῷ χάριν.

Pro *χάριτι* alia *χάρις* redditur:

Soph. Aiac. 522: *ἀνδρί τοι χρεὼν*
μνήμην[1]) *προσεῖναι, τερπνὸν εἴ τί που πάθοι.*
χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί.

cf. Eur. Hel. 1234: *χάρις γὰρ ἀντὶ χάριτος ἐλθέτω.*

Soph. Oed. Col. 1147:
ὁ γὰρ ξένος σε καὶ πόλισμα καὶ φίλους ἐπαξιοῖ
δικαίαν χάριν παρασχεῖν παθών.

Eur. Herc. 1336: *κἀγὼ χάριν σοι τῆς ἐμῆς σωτηρίας*
τήνδ' ἀντιδώσω.

Theseus cum Hercule loquitur; ea *χάρις*, cui *χάριν ἀντιδώσει*, erat illa *σωτηρία*, ex inferis scilicet.

Germanice redditum illud gratum vel aliud pro eo redditum „Dank“ appellamus, Graeci alia cogitandi et dicendi ratione beneficium datum et redditum eodem nomine rei qua quis laetitiam parat (*χάρις*) significant. Eam quae intercedit inter eas res notionem et differentiam alio modo notant, ut verbis (*διδόναι* et *ἀντιδιδόναι, ἀποδιδόναι*), praepositione *ἀντί*, appositis vocabulis quibus reminiscendi notio exprimatur (*μνήμη, μνῆμα, μνήμων.* cf. adn. 1); in ipso vocabulo *χάρις* remunerationis notio non inest.

Cum eo vocabuli *χάρις* usu, de quo pag. 4 sq. disseruimus, verbi *χαρίζεσθαι* usus conferendus est. *χαρίζεσθαί τινι* est „alicui aliquid facere quod *χάρις* est“,[2]) i. e. „facere quod laetificat“ vel „laetitia aliquem afficere“. Idem igitur valet atque *χάριν φέρειν, χάριν διδόναι* similiaque:

---

1) *μνήμη*, non *χάρις* nostro respondet vocabulo „Dank“, cf. *μιμνήσκειν* „gedenken“; *χάρις* nihil nisi laetificans factum est. cf. Theogn. 105 (p. 10); Pind. J. 7,14 (p. 11), Heraclid. 334 (p. 13).

2) cf. *φάτις* — *φατίζειν.*

Plat. Tim. p. 20 B: *ὑμῶν δεομένων τὰ περὶ τῆς πολιτείας διελθεῖν προθύμως ἐχαριζόμην.*

Vocabula *χάρις* et *χαρίζεσθαι* coniuncta saepius inveniuntur in ea parte Phaedri Platonis, ubi oratio illa Lysiana recitatur; velut Phaedr. p. 233 E: *ἀλλ' ἴσως προσήκει οὐ τοῖς σφόδρα δεομένοις χαρίζεσθαι, ἀλλὰ τοῖς μάλιστα ἀποδοῦναι χάριν δυναμένοις.*

Cum, ut supra demonstravimus, ipso vocabulo *χάρις* non appareat, utrum sit gratificatio data an gratia reddita, multis locis, praesertim in fragmentis, ubi totius sententiae contextus parum apertus sit, de gratificatione agatur an de reddita gratia dubium esse potest:

Eur. fragm. 608: *ἐν τοῖσι μὲν δεινοῖσιν ὡς φίλοι φίλων.*
ὅταν δὲ πράξωσ' εὖ, διωθοῦνται χάριν
αὐτοὶ δι' αὐτοὺς εὐτυχεῖν ἡγούμενοι.

Utrum dicit poeta tales homines gratum sibi factum an dicit eos reddendum gratum neglegere?

cf. Soph. fr. 834: *ἀμνήμονος γὰρ ἀνδρὸς ὄλλυται χάρις.*
et Eur. fr. 736: *σπάνιον ἄρ' ἦν θανοῦσιν ἀσφαλεῖς φίλοι,*
. . . ἡ δ' ἐν ὀφθαλμοῖς χάρις
ἀπόλωλ', ὅταν τις ἐκ δόμων ἀνὴρ θάνῃ.

Saepe enim utrumque inest in hoc vocabulo, et gratum datum et reddita gratia:

Eur. Herc. 134. Chorus de Herculis pueris loquitur:
ἴδετε, πατρὸς ὡς
γοργῶπες αἵδε προσφερεῖς
ὀμμάτων αὐγαί,
τὸ δὲ κακοτυχὲς οὐ λέλοιπεν ἐκ τέκνων
οὐδ' ἀποίχεται χάρις.

cf. Wilamowitzium in commentario (p. 36): „Die Kinder sind echte Herakleskinder; sie haben die feurigen Augen des Vaters, das schwere Leben und die *χάρις*. Diese ist immer (potius: „oft“, cf. p. 4 opusculi nostri) etwas Reciprokes, so-

wohl die freundliche Gesinnung oder Tat, wie die Gesinnung oder Tat, welche diese erwidert. Also lebt in den Söhnen die *χάρις* des Herakles, weil sie wie er zu Wohltätern der Menschheit berufen sind, und weil sie wie er auf den Dank der Menschen Anspruch haben.“

Menand. fr. 595 Kock:

ἀεὶ δ' ὁ σωθεὶς ἐστιν ἀχάριστον φύσει.
ἅμ' ἠλέηται καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις,
ἣν δεόμενος τότ' ἀθάνατον ἕξειν ἔφη.

Gratificatio facta statim moritur, i. e. non iam valet ideoque non redditur. *χάρις* et gratificationem factam et gratiam referendam significat.

Soph. Trach. 618, ubi Deianira Licham his verbis dimittit:

ἀλλ' ἕρπε, καὶ φύλασσε πρῶτα μὲν νόμον
τὸ μὴ 'πιθυμεῖν πομπὸς ὢν περισσὰ δρᾶν·
ἔπειθ' ὅπως ἂν ἡ χάρις κείνου τέ σοι
κἀμοῦ ξυνελθοῦσ' ἐξ ἁπλῆς διπλῆ φανῇ.

Sententia est: „id specta, quomodo ea ratione agas, ut utrique, Herculi et mihi, gratificeris et uterque tibi gratiam reddat.“

Eur. Heraclid. 379. Chorus Eurystheum absentem appellat:

ἀλλ' οὐ πολέμων ἐραστάς
μή μοι δορὶ συνταράξῃς
τὰν εὖ χαρίτων ἔχουσαν
πόλιν, ἀλλ' ἀνάσχου.

„urbem quae non ignorat, ubi gratificari debeat et ubi gratiam exspectare possit.“

Eur. Heraclid. 548. Macaria sua sponte, non sorte electa sacrificari vult:

οὐκ ἂν θάνοιμι τῇ τύχῃ λαχοῦσ' ἐγώ.
χάρις γὰρ οὐ πρόσεστι.

„si sorte destinata sacrificor, cognatis meis gratum i p s a n o n f a c i o sacrificatione mea (nam c o g o r sacrificari), et simul talem sacrificationem sorte coactam gratia eorum non comitatur.“

Remunerationis notio („Dank") vocabulo *χάρις* insita non est, ut supra vidimus; sed fortasse, cum saepius *χάρις* pro gratia reddita diceretur, postea paulatim in ipsum vocabulum irrepsit. Qua tamen in quaestione tractanda ii eximendi sunt loci ubi nostra tantum cogitandi et vertendi ratione remunerationis notio immiscetur. Talis est locutio *χάριν οἶδα,* quod plerumque „gratiam habeo" (Germ. „ich weiss Dank") vertimus, cum proprie sit „scio gratum mihi factum esse" (Germ. „ich bin mir der mir erwiesenen erfreuenden Gefälligkeit bewusst"):

Plat. Phaedr. p. 233 D: *ἔτι δὲ εἰ χρὴ τοῖς δεομένοις μάλιστα χαρίζεσθαι, προσήκει καὶ τῶν ἄλλων μὴ τοὺς βελτίστους ἀλλὰ τοὺς ἀπορωτάτους εὖ ποιεῖν· μεγίστων γὰρ ἀπαλλαγέντες κακῶν πλείστην χάριν αὐτοῖς εἴσονται.* „maximum sibi gratum ab iis factum esse (scil. illo *εὖ ποιεῖν* et *χαρίζεσθαι)* scient".

Similiter *χάριν ἔχω* „gratum acceptum teneo" (sc. memoria):

Menand. *Σαμ.* 269[1]): *χάριν δὲ πολλὴν πᾶσι τοῖς θεοῖς ἔχω*
οὐδὲν εὑρηκὼς ἀληθὲς ὧν τότ' ᾤμην πραγμάτων.

Huc referendae sunt locutiones *χάριν ὀφείλω* et *χάριν τίνω,* quarum supra (p. 5 sq.) commemoravi exempla.

Talibus in locutionibus non de gratia remunerationis loco reddita, sed de gratificatione ipsa agitur.

Neque hoc loco in ipsum vocabulum *χάρις* irrepsit remunerationis notio, quam ei non inesse origine vocabuli apparet:

Il. 23, 647: *τοῦτο δ' ἐγὼ πρόφρων δέχομαι, χαίρει δέ μοι ἦτορ,*
ὥς κεν ἀεὶ μέμνησαι ἐνηέος . . .
σοὶ δὲ θεοὶ τῶνδ' ἀντὶ χάριν μενοεικέα δοῖεν,

i. e. „hac tua gratificatione laetor et di pro *(ἀντί)* ea tibi quoque aliquid quod laetificet donent". Hoc uno loco *χάρις* apud Homerum res grata est pro alia re grata reddita; sed

1) van Leeuwen, Menandri fragmenta nuper reperta.

haec reddendi (vel remunerationis) notio in ipso vocabulo *χάρις* non sentitur, sed isto *ἀντὶ τῶνδε δοῖεν* exprimitur.

Reliquis locis Homericis, ubi ipsi vocabulo *χάρις* remunerationis notio videtur inesse omnino non agitur de gratia reddenda, sed de ipsa gratificatione (vel re grata):

Il. 9, 316[1]: *οὔτ' ἐμέ γ' Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα πεισέμεν οἴω*
οὔτ' ἄλλους Δαναούς, ἐπεὶ οὐκ ἄρα τις χάρις ἦεν
μάρνασθαι δηΐοισιν ἐπ' ἀνδράσι νωλεμὲς αἰεί

intelligendus est: „quod continuo cum hostibus pugnavimus, res grata (laetificans) Agamemnoni non erat"; quod cum ironia dicitur, nam res grata erat, sed nunc non videtur fuisse irato.

cf. Il. 17, 147: *οὐ γάρ τις Λυκίων γε μαχησόμενος Δαναοῖσιν*
εἶσι περὶ πτόλιος, ἐπεὶ οὐκ etc.

Od. 4, 695[1]: *ἀλλ' ὁ μὲν ὑμέτερος θυμὸς καὶ ἀεικέα ἔργα*
φαίνεται, οὐδέ τις ἔστι χάρις μετόπισθ' εὐεργέων.

Od. 22, 319: *αὐτὰρ ἐγὼ μετὰ τοῖσι θυοσκόος οὐδὲν ἐοργὼς*
κείσομαι, ὡς οὐκ ἔστι χάρις μετόπισθ' εὐεργέων.

„beneficiorum vis laetificatrix (*χάρις*) postea nulla est", i. e. memoria non tenetur.

Apud lyricos quoque poetas longe plurimis locis haec remunerationis notio vocabulo ipsi non subicitur, sed alia exprimitur ratione:

Theogn. 1264: *ὦ παῖ, ὅς εὖ ἔρδοντι κακὴν ἀπέδωκας ἀμοιβήν,*
οὐδέ τις ἀντ' ἀγαθῶν ἔστι χάρις παρὰ σοί.

Theogn. 105: *δειλοὺς εὖ ἔρδοντι ματαιοτάτη χάρις ἐστίν·*
ἶσον καὶ σπείρειν πόντον ἁλὸς πολιῆς. . . .
οἱ δ' ἀγαθοὶ τὸ μέγιστον ἐπαυρίσκουσι παθόντες,
μνῆμα[2]*) δ' ἔχουσ' ἀγαθῶν καὶ χάριν ἐξοπίσω.*

Anacr. 104: *πρὶν μὲν Καλλιτέλης μ' ἱδρύσατο· τόνδε δ' ἐκείνου*
ἔκγονοι ἔστασαν, τοῖς χάριν ἀντιδίδου.

---

1) cf. Doederlein, Homerisches Glossarium, vol. I pag. 256.
2) cf. pag. 6 adn. 1.

Vel omnino non intelligenda est gratia reddenda sed ipsa gratificatio:

Pind. I. 7, 14. Nonnullis Thebarum laudibus enumeratis commemorat poeta Agidas Thebanos olim Doricam coloniam ὀρϑῷ ἐπὶ σφυρῷ statuisse, cum Amyclas, Achivorum firmissimam sedem, cepissent (haec erat eorum χάρις); pergit

ἀλλὰ παλαιὰ γὰρ
εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί.

χάρις est factum laetificans; reminiscendi notio inest in ἀμνάμονες[1]).

Anacr. 110: πρόφρων, Ἀργυρότοξε, δίδου χάριν Αἰσχύλου υἱῷ
Ναυκράτει, εὐχωλὰς τάσδ' ὑποδεξάμενος.

Theogn. 956: δειλοὺς εὖ ἔρδοντι δύω κακά· σῶν τε γὰρ αὐτοῦ
χηρώσῃ κτεάνων, καὶ χάρις οὐδεμία.

cf. Il. 9, 316 et Il. 17, 147 (p. 10).

Archil. fr. 63: οὔ τις αἰδοῖος μετ' ἀστῶν κἀναρίϑμιος ϑανὼν
γίγνεται· χάριν δὲ μᾶλλον τοῦ ζοοῦ διώκομεν.

Apud ceteros poetas in hac quaestione eadem qua apud poetas lyricos ratione agam, ut primum nonnulla afferam exempla ubi vocabulo χάρις gratia quidem reddita significetur, sed haec reddendi notio aliqua ratione exprimatur, deinde nonnullos locos ubi ita intelligendum esse prima possit videri specie, re vera omnino non agatur de gratia reddenda sed de ipsa gratificatione.

I. Reddendi notio aliqua ratione exprimitur eiusmodi locis:

Soph. Oed. Col. 1489. Oedipus (scil. ἐϑέλω):

ἀνϑ' ὧν ἔπασχον εὖ, τελεσφόρον χάριν
δοῦναί σφιν, ἥνπερ τυγχάνων ὑπεσχόμην.

i. e. „aliquid quod laetitiam paret ei dare volo pro beneficiis quibus ipse affectus sum.“

Eur. Alc. 660. Admetus cum Pherete loquitur:

οὐ μὴν ἐρεῖς γέ μ' ὡς ἀτιμάζοντα σὸν

---

1) cf. pag. 6 adn. 1.

γῆρας θανεῖν προὔδωκά σ', ὅστις αἰδόφρων
πρός σ' ἦ μάλιστα, κἀντὶ τῶνδε μοι χάριν
τοιάνδε καὶ σὺ χἡ τεκοῦσ' ἠλλαξάτην.

Ar. Thesm. 1231: τὼ Θεσμοφόρω δ' ἡμῖν ἀγαθὴν
τούτων χάριν ἀνταποδοῖτον.

Ar. Eccl. 1045/1048: νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα, κεχάρισαί γέ μοι,
ὦ γλυκύτατον, τὴν γραῦν ἀπαλλάξασά μου·
ὥστ' ἀντὶ τούτων τῶν ἀγαθῶν εἰς ἑσπέραν
μεγάλην ἀποδώσω καὶ παχεῖάν σοι χάριν.

Plat. Phaedr. p. 231 B: οἱ μὲν ἐρῶντες ... ὃν εἶχον πόνον προστιθέντες ἡγοῦνται πάλαι τὴν ἀξίαν ἀποδεδωκέναι χάριν τοῖς ἐρωμένοις.

Theocr. ep. 20:
ἕξει τὰν χάριν ἁ γυνὰ (Clita nutrix) ἀντὶ τήνων,
ὧν τὸν κῶρον ἔθρεψε.

„accipiet gratificationem (i. e. laetitia afficietur) mulier pro iis ...“

II. Omnino non agitur de gratia reddenda, sed de gratificatione ipsa eiusmodi locis:

Soph. Aiac. 1267: φεῦ· τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς
χάρις διαρρεῖ καὶ προδοῦσ' ἁλίσκεται.

Soph. Phil. 557: ἀλλ' ἡ χάρις μὲν τῆς προμηθίας, ξένε,
εἰ μὴ κακὸς πέφυκα, προσφιλὴς μενεῖ.

Neoptolemus cum simulato illo mercatore loquitur, qui Graecorum consilia narraturus est. Dicit: ea res, quod hac tua cura nobis gratificaris, iucunda nobis servabitur. ἡ χάρις τῆς προμηθίας non est grata remuneratio curae, ut scholiasta intellexit: ἔσται σοι χάρις τῆς προμηθίας ὕστερον. Nam illud προσφιλής tum nullo modo quadraret.

cf. Menand. Ἐπιτρέπ. 325.[1]) Onesimus servus, qui Habrotonon psaltriam magno beneficio affecit:

ἀλλ' οὐ χάρις τις, Ἁβρότονον, τούτων ἐμοί;

„nonne mihi aliquid quod laetificet ex his rebus evenit?“

1) van Leeuwen, Menandri fragmenta nuper reperta.

Praemium aliquod beneficii ab Habrotono se accepturum esse sperat; de remuneratione igitur cogitat, neque tamen dicit remunerationem, sed omnino *χάριν* „aliquid quod laetificat". Soph. Oed. Col. 1483. Chorus Iovem fulgurantem invocat:

ἐναισίου δὲ σοῦ τύχοιμι, μηδ' ἄλαστον ἄνδρ' ἰδὼν
ἀκερδῆ χάριν μετάσχοιμί πως.

„neve gratum quod Oedipo feci, cum eum apud me recepi, postea habeam inutile", i. e. ne ista gratificatio postea mihi damno sit.

Eur. Heraclid. 334: *σοί τ' εὖ λέλεκται, καὶ τὰ τῶνδ' αὐχῶ, γέρον,*
τοιαῦτ' ἔσεσθαι· μνημονεύσεται χάρις.[1])

Demophon, rex Atticae, qui hoc loco loquitur, Heraclidas apud se receperat (haec erat illa *χάρις*); quam ob rem Iolaus Heraclidas admonuerat, ut semper Athenienses ut salvatores et amicos suos venerarentur. Quae verba Demophon respicit, cum dicit: *σοί τ' εὖ λέλεκται* etc. Ista *χάρις* igitur non Heraclidarum gratia est, sed Demophontis gratificatio.

cf. Eur. Heraclid. 438, ubi illud *οὔτοι σοί γ' ἀπόλλυται χάρις* idem fere valet atque *μνημονεύσεται χάρις.*

Eur. Suppl. 374: *καλὸν δ' ἄγαλμα πόλεσιν εὐσεβὴς πόνος*
χάριν τ' ἔχει τὰν ἐς ἀεί.

„in omne tempus habet aliquid quod laetitia afficiat, quod gratum sit".

Plat. de leg. IX p. 877 A. Loquitur Plato de numine quod quominus homo trucidaretur impediverat atque ut tantum vulneraretur effecerat; itaque numen ipsum cum homini trucidaturo obstitisset ostendit se ut ille supplicio afficeretur non cupere; cui numini non est repugnandum *(ἐναντιοῦσθαι)* sed gratificandum *(χάριν διδόναι)*, proprie: id ei faciendum est quod laetitiam ei parat: *τούτῳ δὴ χάριν τῷ δαίμονι διδόντα καὶ μὴ ἐναντιούμενον τὸν μὲν θάνατον ἀφελεῖν τοῦ τρώσαντος* . . . De gratia igitur reddenda nihil inest in hac sententia.

---

1) cf. pag. 6 adn. 1.

Theocr. 5, 37: *μέγα δ' ἄχθομαι, εἰ τύ με τολμῇς ὄμμασι τοῖς ὀρθοῖσι ποτιβλέπειν, ὅν ποκ' ἐόντα παῖδ' ἔτ' ἐγὼν ἐδίδασκον. ἴδ' ἁ χάρις ἐς τί ποχ' ἕρπει.*
non „gratia tua", sed „gratificatio mea" (i. e. „ea res qua tibi laetitiam paravi").

Omnibus his locis gratae remunerationis notio, etsi vocabulo *χάρις* inesse prima specie videri potest, re vera vel alia ratione exprimitur (cf. genus I) vel omnino non adest, sed de ipsa gratificatione agitur (cf. genus II). —

Sed aliter res se habet his locis:

Theogn. 1096: *σκέπτεο δὴ νῦν ἄλλον, ἐμοί γε μὲν οὔτις ἀνάγκη τοῦτ' ἔρδειν· τῶν μοι πρόσθε χάριν τίθεσο.*
Poeta dicit: „quaere alium amicum qui tibi obsequatur; me nihil necesse est tibi dicto audientem esse: priorum beneficiorum mihi gratiam fer"; non dicit *ἀντὶ τῶν πρόσθε*, sed *χάρις τῶν πρόσθε* e toto sententiae contextu intelligenda est „grata remuneratio factorum meorum".

Aesch. Agam. 354: *χάρις γὰρ οὐκ ἄτιμος εἴργασται πόνων.*
χάρις πόνων non est ea *χάρις* quae laboribus inest sed laborum grata remuneratio, Troia capta; haec autem notio remunerationis non aliis exprimitur vocabulis (non dicit: *χάρις ἀντὶ τῶν πόνων*), sed e vocabulo *χάρις* ipso intelligenda est.

Plat. de leg. XI. p. 931 A: *τοὺς μὲν γὰρ τῶν θεῶν ὁρῶντες σαφῶς τιμῶμεν, τῶν δ' εἰκόνας ἀγάλματα ἱδρυσάμενοι, οὓς ἡμῖν ἀγάλλουσι, καίπερ ἀψύχους ὄντας, ἐκείνους ἡγούμεθα τοὺς ἐμψύχους θεοὺς πολλὴν διὰ ταῦτ' εὔνοιαν καὶ χάριν ἔχειν.* Hoc loco originem locutionis *χάριν ἔχειν* (= rem laetificantem vel gratam memoria tenere, cf. p. 9) non iam sentiri apparet ex illo *διὰ ταῦτα*; nam ipsa illa *ταῦτα* (quod homines imagines quoque deorum venerantur) essent haec *χάρις*, absurde igitur dictum esset *διὰ ταῦτα χάριν ἔχειν*, cum recte esset dictum *ταύτην τὴν χάριν ἔχειν*. Vel ea re quod cum vocabulo *εὔνοια* coniungitur *χάρις* utrumque vocabulum ad deorum referendum esse animos, non ad hominum

actiones certum est. χάρις igitur deorum gratus animus est, quo sunt propter hominum facta (διὰ ταῦτα) remunerationis loco. Illud χάριν ἔχειν hoc loco eodem fere modo usurpatur atque Latinum „gratiam habere“.

Iis locis ubi accusativus χάριν appositionis loco apponitur[1]) hoc vocabulum notionem remunerationis gratae saepius accepit: Eur. Herc. 226:

ἣν (Graeciam) χρῆν νεοσσοῖς τοῖσδε πῦρ λόγχας ὅπλα
φέρουσαν ἐλθεῖν, ποντίων καθαρμάτων
χέρσου τ' ἀμοιβάς, ὧν ἐμόχθησεν χάριν.

„gratum quod remuneratio sit laborum eius (Herculis)“, cf. ἀμοιβάς καθαρμάτων.

Soph. Aiac. 93. Aiax Minervam appellat:

ὡς εὖ παρέστης· καί σε παγχρύσοις ἐγὼ
στέψω λαφύροις τῆσδε τῆς ἄγρας χάριν.

Ar. Ach. 1051. Paranymphius:

ἔπεμψέ τίς σοι νύμφιος ταυτὶ κρέα
ἐκ τῶν γάμων . . .
ἐκέλευε δ' ἐγχέαι σε τῶν κρεῶν χάριν . . .
ἐς τὸν ἀλάβαστον κύαθον εἰρήνης ἕνα.

non „ut carnes laetificentur“ („zur Freude des Fleisches“) sed „ut sponsus pro carnibus remunerationis loco laetificetur“ („als erfreuende Vergeltung für das Fleisch“).

Plat. de re publ. III p. 394 A: . . . ὑπομιμνήσκων καὶ ἀπαιτῶν, εἴ τι πώποτε ἢ ἐν ναῶν οἰκοδομήσεσιν ἢ ἐν ἱερῶν θυσίαις κεχαρισμένον δωρήσαιτο· ὧν δὴ χάριν κατηύχετο τεῖσαι τοὺς Ἀχαιοὺς τὰ ἃ δάκρυα τοῖς ἐκείνου βέλεσιν. Chryses Apollinem precatur, ut pro iis rebus quas gratas acceperit gratiam referat a Graecis expetens poenas. Quae referendi notio nulla ratione exprimitur, sed, cum toto sententiae contextu sit aperta, ex ipso vocabulo χάρις intelligenda est.

Complures sunt loci ubi eadem fortasse ratione in ipsum vocabulum χάρις remunerationis notio, quam ei non inesse

---

1) cf. huius capitis finem.

origine apparet vocabuli, irrepsit; sed certis argumentis non potest diiudicari, num scriptores ipsi his locis hanc notionem senserint. Id tamen his exemplis demonstratum videtur esse: Cum in ipso vocabulo *χάρις* remunerationis notio non insit, tamen inveniuntur loci, etsi non multi, ubi pro reddendo grato (vel grata remuneratione) *χάρις* intelligenda est, quamquam nulla ratione haec notio exprimitur remunerationis; itaque concludendum est hanc notionem interdum in ipsum vocabulum *χάρις* irrepsisse, iis scilicet locis ubi toto sententiae contextu res aperta sit. Quod ea re effectum videtur esse quod pro reddito facto quo quis laetitiam parat *χάρις* multis usurpata est locis, ubi tamen haec reddendi notio aliqua ratione significata erat.

Observatione dignum mihi videtur esse primum huius usus exemplum, quod quidem certum sit, apud Theognin (v. 1096 p. 14) inveniri. Huic poetae, qui amicis et pueris amatis multa det praecepta et consilia quibus in vita cotidiana utantur, saepissime de gratificationibus illis cotidianis quibus amicus amicum vel civis civem adiuvat et delectat loquendum erat; crebro fortasse illo usu *χάρις* apud eum hanc notionem gratiae reddendae e se peperit.

Omnia haec, illud *χάριν διδόναι* et *ἀποδιδόναι, χαρίζεσθαι, χάριν εἰδέναι* vel *ἔχειν*, etiam divinis in rebus usurpantur. Complura iam passim attuli exempla: Hippocr. *περὶ ἀέρων* etc. cap. 22 (p. 3), Ion. 914 (p. 4), Antig. 331 (p. 5), de leg. IX p. 877 A (p. 13), de leg. XI p. 931 A (p. 14), de re publ. III p. 394 A (p. 15).

Vel Plato, etsi nonnunquam philosophiae commotus rationibus deos laetitiae et doloris participes esse negat[1]), tamen tota mente atque animo illi populi sui de deorum

---

1) ut Phileb. p. 33 B. Ad ea quae Protarchus dixit: *οὔκουν εἰκός γε οὔτε χαίρειν θεοὺς οὔτε τὸ ἐναντίον* Socrates: *πάνυ μὲν οὖν οὐκ εἰκός· ἄσχημον γοῦν αὐτῶν ἑκάτερον γιγνόμενόν ἐστιν.*

natura sententiae ita inhaeret, ut saepe in libris eius philosophiam reprimat illa sententia quae homini Graeco natura insita est. cf. exempla Platonica supra allata.

Homines deos laetitia afficiunt (*χαρίζονται θεοῖς*):
Plat. Euthyphr. p. 14 B: *τόδε μέντοι σοι ἁπλῶς λέγω, ὅτι ἐὰν μὲν κεχαρισμένα τις ἐπίστηται τοῖς θεοῖς λέγειν τε καὶ πράττειν . . . ταῦτ' ἔστι τὰ ὅσια . . . τὰ δ' ἐναντία τῶν κεχαρισμένων ἀσεβῆ.*
Plat. Euthyphr. p. 15 A: *ΣΩ: ἀλλὰ τί δήποτ' ἂν εἴη ταῦτα, ὦ Εὔθυφρον, τὰ παρ' ἡμῶν δῶρα τοῖς θεοῖς; — ΕΥ: τί δ' οἴει ἄλλο ἢ τιμή τε καὶ γέρα καὶ ὅπερ ἄρτι ἔλεγον χάρις;*
Ar. Av. 855: Chorus: *ὁμορροθῶ, συνθέλω . . .*
. . . ἅμα δὲ προσέτι χάριτος ἕνεκα
προβάτιόν τι θύειν.

A dis haec *χάρις* redditur:
Callim. h. I, 37: *οὐδ' ἀλίην ἀπέτεισε θεὴ χάριν, ἀλλὰ τὸ χεῦμα κεῖνο Νέδην ὀνόμηνε.*
Neda nympha Rheae parienti obstetrix adfuit, haec fuit *χάρις* eius, quam Rhea ei reddit (*ἀποτίνει*).

Vel di ultro *χάριν* dant:
Eur. Hel. 1449. Menelaus deos implorans: *μίαν δ' ἐμοὶ χάριν δόντες τὸ λοιπὸν εὐτυχῆ με θήσετε.*
Callim. ep. 5. Venus-Arsinoë imploratur:
Κλεινίου ἀλλὰ θυγατρὶ δίδου χάριν . . .
Aesch. Eum. 939. Chorus Eumenidum multa Atheniensibus emolumenta pollicetur:
δενδροπήμων δὲ μὴ πνέοι βλάβα,
— τὰν ἐμὰν χάριν λέγω — . . .

Omnibus quos adhuc attuli locis *χάρις* erat factum quo quis alium afficit laetitia, sive prior gratum facit sive reddit gratum factum. Itaque *χάρις* quia ab altero detur, ab altero accipiatur necesse est transitivam vim habet. Quod non obliviscendum est iis locis quos tractaturi sumus:

Soph. Aiac. 808: *ἔγνωκα γὰρ δὴ φωτὸς ἠπατημένη*
καὶ τῆς παλαιᾶς χάριτος ἐκβεβλημένη.

Tecmessa Aiacis *παλαιᾶς χάριτος ἐκβεβλημένη* est; antea igitur *ἐν χάριτι*[1]) erat apud eum. Hoc loco *χάρις* certum factum esse non potest, sed condicio debet esse, ea scilicet condicio in qua Aiax laetitia eam afficere (*χαρίζεσθαι αὐτῇ*) solebat. Quae singulae *χάριτες* comprehenduntur vocabulo *χάρις*, quod est ea animi condicio qua quis alium laetitia afficere solet.

Praecipue deorum *χάρις* huc referenda est:

Pind. P. 3, 95: *Διὸς δὲ χάριν*
ἐκ προτέρων μεταμειψάμενοι καμάτων ἔστασαν ὀρθὰν καρδίαν.

Aesch. Ag. 581: *τοιαῦτα* (sc. Troiam captam esse) *χρὴ κλύοντας εὐλογεῖν πόλιν*
καὶ τοὺς στρατηγούς· καὶ χάρις τιμήσεται
Διὸς τόδ' ἐκπράξασα.

Aesch. Ag. 182: *καὶ παρ' ἄκοντας ἦλθε σωφρονεῖν.*
δαιμόνων δέ που χάρις βιαίως
σέλμα σεμνὸν ἡμένων.

„caelestium vero fortasse gratia est", sc. quod *καὶ παρ' ἄκοντας ἔρχεται σωφρονεῖν*, cum a dis, qui si velint vi (*βιαίως*) possint agere, tamen amice atque benevole moneantur homines, ut caveant.

His locis *χάρις* a dis benigne data prope accedit ad id quod nos „Huld" „Gnade" appellamus; sed si ita vertimus, obliviscendum non est in vocabulo *χάρις* homines respici quos deorum benignitas laetitia afficit, non deorum benignitatem ipsam.

Ar. Lysistr. 545. Chorus mulierum quae arcem occupaverunt:
ἐθέλω δ' ἐπὶ πᾶν ἰέναι
μετὰ τῶνδ' ἀρετῆς ἕνεχ', αἷς
ἔνι φύσις, ἔνι χάρις,

---

1) cf. Plat. Phaed. p. 115 B.

ἔνι θράσος, ἔνι δὲ σοφόν, ἔνι δὲ φιλόπολις
ἀρετὴ φρόνιμος.

Hoc loco *χάρις* inter nonnullas virtutes enumeratur. Sed cum ceterae quae h. l. enumerantur virtutes intransitivam habeant vim neque in alios pertineant, notioni *χάρις*, ut exemplis atque origine vocabuli cognovimus, transitiva vis inest. Singularis quidem actio non est, sed ipsis talium mulierum quales chorus describit moribus haec *χάρις* inesse debet, i. e. mores earum tales debent esse, ut alios homines laetitia afficiant. Recte verti non potest; prope accedit ad id quod amabilem animum vocamus, cui tamen notioni transitiva vis non inest; amabilis animus dignus est qui ametur (passive), *χάρις* ea virtus est quae alios laetitia afficit (active).

Quae virtus non modo animi est, sed etiam corporis; plerumque ad utrumque pertinet:

Il. 11, 243: *ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον,*
οἰκτρός, ἀπὸ μνηστῆς ἀλόχου, ἀστοῖσιν ἀρήγων,
κουριδίης, ἧς οὔ τι χάριν ἴδε, πολλὰ δ' ἔδωκεν.

Theogn. 1319: *ὦ παῖ, ἐπεί τοι δῶκε θεὰ χάριν ἱμερόεσσαν*
Κύπρις, σὸν δ' εἶδος πᾶσι νέοισι μέλει,
τῶνδ' ἐπάκουσον ἐπῶν καὶ ἐμὴν χάριν[1]*) ἔνθεο θυμῷ*
γνοὺς ἔρος ὡς χαλεπὸν γίνεται ἀνδρὶ φέρειν.

Eur. Hel. 1420: *ΘΕ: μὴ νῦν ἄγαν σὸν δάκρυσιν ἐκτήξῃς χρόα.*
ΕΛ: ἥδ' ἡμέρα σοι τὴν ἐμὴν δείξει χάριν.
(„laetificandi facultatem“).

Eur. Hel. 1397, ubi variae Menelai virtutes laetificantes et corporis et animi plurali *χάριτες* significantur:

δέδοικα γάρ σε μή τις ἐμπεσὼν πόθος
πείσῃ μεθεῖναι σῶμ' ἐς οἶδμα πόντιον
τοῦ πρόσθεν ἀνδρὸς χάρισιν ἐκπεπληγμένην.

---

1) Sed tertio versu *χάρις* est factum (vel complura facta) quo poeta puero laetitiam paravit: de hac significatione supra disserui pag. 4 sq.

Corpus imprimis et species his locis respiciuntur:
Od. 8, 19: *τῷ δ' ἄρ' Ἀθήνη*
θεσπεσίην κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις
καί μιν μακρότερον καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι.
Eur. Bacch. 236: *λέγουσι δ' ὥς τις εἰσελήλυθε ξένος ...*
ξανθοῖσι βοστρύχοισιν εὔοσμοις κομῶν,
οἰνωπός, ὄσσοις χάριτας („Reize") *Ἀφροδίτης ἔχων.*
Eur. Iph. Taur. 1147: *χοροὺς δ' ἱσταίην, ὅθι καὶ*
πάροχος εὐδοκίμων γάμων,
παρὰ πόδ' εἱλίσσουσα φίλας
ματρὸς ἡλίκων θιάσους,
ἐς ἁμίλλας χαρίτων,
χλιδᾶς ἁβροπλούτοιο
εἰς ἔριν ὀρνυμένα ...
Eur. El. 192: *καὶ παρ' ἐμοῦ χρῆσαι πολυπήνεα φάρεα δῦναι*
χρύσεά τε χάρισι προσθήματ' ἀγλαΐας.
„accipe mutuo a me preciosas vestes induendas aureaque gratiis tuis additamenta nitoris".
Eur. Troad. 836: *σὺ δὲ* (Ganymedes) *πρόσωπα νεα-*
ρὰ χάρισι („mit deinen Reizen") *παρὰ Διὸς θρόνοις*
καλλιγάλανα τρέφεις.
Call. ep. 50:
τὴν Φρυγίην Αἴσχρην, ἀγαθὸν γάλα, πᾶσιν ἐν ἐσθλοῖς
Μίκκος καὶ ζωὴν οὖσαν ἐγηροκόμει
καὶ φθιμένην ἀνέθηκεν, ἐπεσσομένοισιν ὁρᾶσθαι,
ἡ γρῆυς μαστῶν ὡς ἀπέχει[1]) *χάριτας.*

Sed pro certo non affirmaverim omnibus his locis istas *χάριτας* nihil nisi corporis virtutes laetificantes esse; nam *χάρις* cum omnino virtutem laetificantem significet corporis

---

1) Mulier ipsa a mammis removet speciei et corporis *χάριτας;* nos diceremus: *αἱ χάριτες* absunt a mammis eius. De hac Graecorum cogitandi et dicendi consuetudine optime disseruit Classen „Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch" p. 221 sq. — cf. Plat. Phaed. p. 118 de morte Socratis: *καὶ ὃς τὰ ὄμματα ἔστησεν.*

et animi virtutes coniungit. Nos igitur, si hoc vocabulum vertere conamur significationibus venustatis aut amabilitatis, alterutram notionis significare possumus partem.

Speciei et formae *χάρις* in rebus quoque potest esse, res quoque specie et forma laetitiam efficere possunt:

Od. 18, 298: *ἕρματα δ' Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν*
τρίγληνα μορόεντα· χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλή.

Eur. Med. 982: *πείσει χάρις ἀμβρόσιός τ' αὐγὰ πέπλον*
χρυσότευκτόν τε στέφανον περιθέσθαι.

„venustas“, scil. *πέπλου* et *στεφάνου*.

Toti huic vocabuli *χάρις* usui adiectivum *χαρίεις* respondet:

Ar. Lysistr. 1226: *οὔπω τοιοῦτον ξυμπόσιον ὄπωπ' ἐγώ.*
ἦ καὶ χαρίεντες („amabiles“) *ἦσαν οἱ Λακωνικοί·*
ἡμεῖς δ' ἐν οἴνῳ ξυμπόται σοφώτατοι.

Il. 18, 24: *ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν*
χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν („venustum“) *δ' ᾔσχυνε πρόσωπον.*

Solon. 13, 40: *ἄλλος δειλὸς ἐὼν ἀγαθὸς δοκεῖ ἔμμεναι ἀνήρ,*
καὶ καλὸς μορφὴν οὐ χαρίεσσαν ἔχων.

Theocr. 15, 79: *τὰ ποικίλα πρᾶτον ἄθρησον,*
λεπτὰ καὶ ὡς χαρίεντα· θεῶν περονάματα φασεῖς.

Plat. Phaedr. p. 230 B: *ἥ τε αὖ πηγὴ χαριεστάτη ὑπὸ τῆς πλατάνου ῥεῖ μάλα ψυχροῦ ὕδατος.*

Ubi haec *χάρις* est speciei et formae *χάρις*, nos vertere solemus venustatem, Germanice „Anmut“. Qua tamen in re cavendum est; nam nos „Anmut“ appellamus certum pulchritudinis genus (cf. Schilleri commentationem quae inscribitur „Über Anmut und Würde“). At vocabulo *χάρις* pulchritudinis notionem omnino non subiciendam esse et origo et usus vocabuli ostendit; laetandi vel potius laetificandi notionem ei inesse vidimus. Cui quidem notioni nostrae quoque significationis „Anmut“ propria vis („das Anmutende“) similis est; sed haec propria vis in vocabulo Germanico non

iam sentitur, in Graeco vocabulo *χάρις*, quod factum quoque laetificans vel rem laetificantem significare nunquam desiit, magis servata est.

Pulchritudine oritur laetitia; *χάρις* haec vis laetificatrix est quae saepe inest pulchritudini. Neque tamen omnia quae pulchra sunt hanc *χάριν* habent neque, ut usu illo vocabuli in *χάριν φέρειν, χάριν εἰδέναι* totaque illa parte huius opusculi ostenditur, cum pulchritudine quaevis *χάρις* coniuncta est. Quae igitur notiones non ea ratione coniunguntur, ut *χάρις* sit notio quae minus late pateat maiorisque notionis pulchritudinis certum genus, sed ea tantum ratione, ut res pulchra saepe vim quandam habeat laetificantem; tamen non necesse est pulchritudinem hanc vim habere, nam, ut ait Goethe

(Faust II): Die Schöne bleibt sich selber selig,
Die Anmut macht unwiderstehlich.

Goethe igitur h. l. vocabulum „Anmut“ ex huius nationis origine intelligit (= „das Anmutende“) ideoque secernit a pulchritudine. At Schiller in commentatione illa vocabulum „Anmut“ ea vi intelligit qua nunc intelligitur ideoque certum quoddam genus pulchritudinis hac notione significat. Itaque ea quae dicit de differentia quae inter venustatem et pulchritudinem intercedit ad vocabulum Germanicum „Anmut“ quadrant, ad Graecum *χάρις* non item. — De notione Lessingiana „Reiz“ [1]) eadem commemoranda sunt. Lessing cum dicit „Reiz ist Schönheit in Bewegung“ hoc vocabulum ea vi intelligit qua e consuetudine quidem intelligitur (ut Schilleri „Anmut“), principali autem significatione explicari non potest. Itaque ad notionem *χάρις* interpretandam eiusmodi explicationes afferendae non sunt.

Loco tamen Theocriteo (30, 5) prima specie videri potest idem esse *χάρις* atque nostrum „Anmut“, quod pulchritudinem motoriam esse Schiller ostendit:

---

1) Laokoon XXI.

τετορταῖος ἔχει παιδὸς ἔρως μῆνά με δεύτερον,
καλῶ μὲν μετρίως, ἀλλ' ὁπόσον τῷ ποδὶ περρέχει
τᾶς γᾶς, τοῦτο χάρις, ταῖς δὲ παρανίαις γλυκὺ μειδιᾷ.

Sed certa de causa h. l. ita coniunguntur hae notiones neque pro consuetudine ac lege res accipienda est. Dicit enim Theocritus: puer modice pulcher est, sed ei rationi qua ingreditur[1]) aliquid inest quod laetitiam efficiat. Certi igitur hominis rationem ingrediendi Theocritus *χάριν* esse dicit, i. e. talem, ut alios homines afficiat laetitia. Quo igitur ex exemplo concludi non potest *χάριν* omnino esse certum pulchritudinis genus, pulchritudinem motoriam.

Jam quae ratio inter *χάριν* et pulchritudinem intercedat comprehendamus: *χάρις* ut est omnino id quod laetitiam affert ita imprimis id est quod in p u l c h r a re homines laetos reddit; non est pulchritudo ipsa sed pulchritudinis vis laetificatrix. Quod autem Graeci rei laetificantis nomen *(χάρις)* singillatim et praecipue cum pulchritudine coniungebant, quanti aestimaverint pulchritudinem ostendit.

Pulchritudo sua propria vi aestimanda est (cf. Goethe „Die Schöne bleibt sich selber selig"); sed ad eam accedere potest *χάρις*, quamquam ea non opus est pulchritudini, ut sit perfecta. *χάρις* h a c i n r e a l i q u i d e s t q u o d a d c e t e r a m r e i c u i u s d a m n a t u r a m a c c e d e n s h a n c r e m l a e t i f i c a n t e m r e d d i t. Quod non modo in pulchris fit rebus, sed etiam veras vel utiles similesque res *χάρις* quasi comitari potest. Talis *χάριτος* insuper accedentis exemplum sit Plat. de leg. II p. 667 B sqq., ubi Plato quantum hac *χάριτι* metiendae sint scientia et litterae et artes latiore disputatione explicat:

Hoc fere huius loci argumentum est: Alimenta *χάρις* quaedam comitatur, rectam autem rationem et utilitatem non haec delectatio sed salubritas efficit. Eodem modo scientiam

---

1) *ὁπόσον τῷ ποδὶ περρέχει* (= *περιέχει*) *τᾶς γᾶς*, proprie „quantum pede solum complectitur", i. e. quomodo pede incedens solum attingit.

χάρις quaedam comitatur, rectam autem rationem et utilitatem efficit veritas. Similiter in artibus imitatricibus *χάρις* quaedam, quae ut comes comitatur artem, nosci potest, rectam autem rationem aequalitas efficit quantitatis et qualitatis. Itaque hae res salubritate, veritate, aequalitate, vel omnino utilitate ponderandae sunt, non voluptate *(ἡδονῇ)*, atque id modo voluptate ponderandum est quod haec delectatio *(χάρις)* non solum comitatur ut illas res, sed cuius ipse finis haec delectatio est. Vocabulo *χάρις*, quamquam principio omnis est delectatio, praecipue eam significat Plato delectationem quae ut comes comitatur utilitatem, veritatem aliasque rerum virtutes.

Sed hunc locum Graece afferimus:

ΑΘ: οὐκοῦν πρῶτον μὲν δεῖ τόδε γε ὑπάρχειν ἅπασιν, ὅσοις συμπαρέπεταί τις χάρις, ἢ τοῦτο αὐτὸ μόνον αὐτοῦ τὸ σπουδαιότατον εἶναι ἤ τινα ὀρθότητα ἢ τὸ τρίτον ὠφελίαν; οἷον δὴ λέγω ἐδωδῇ μὲν καὶ πόσει καὶ ξυμπάσῃ τροφῇ παρέπεσθαι μὲν τὴν χάριν, ἣν ἡδονὴν ἂν προσείποιμεν· τὴν δὲ ὀρθότητά τε καὶ ὠφελίαν ὅπερ ὑγιεινὸν τῶν προσφερομένων λέγομεν ἑκάστοτε τοῦτ' αὐτὸ εἶναι ἐν αὐτοῖς καὶ τὸ ἀποτελοῦν. — ΚΛ: πάνυ μὲν οὖν.

Hunc locum non adeo facilem intellectu et corruptum hoc modo interpretari et emendare conatus sum: „Primum igitur in omnibus iis rebus quas comitatur delectatio quaedam haec ratio intercedere debet, ut aut haec ipsa delectatio *(αὐτὸ τοῦτο)* in ea re (*αὐτοῦ* certa res est quae ad *ἅπαντα ὅσοις συμπαρέπεταί τις χάρις* pertinet) gravissimum sit, aut recta ratio, aut tertium utilitas. (In insequenti sententia infinitivos qui apud Platonem verbo *λέγω* reguntur verbo finito mihi liceat vertere, ut magis perspicua fiat sententia). Velut cibum et potionem omniaque omnino alimenta delectatio quaedam, quam voluptatem nominare possumus, comitatur ut comes, rectam autem rationem *(τὴν δὲ ὀρθότητα)* et utilitatem ⟨non haec delectatio, sed⟩ id ipsum (*(τοῦτ' αὐτό)* quod semper

harum rerum oblatarum salubre nominamus in iis rebus efficit."

Hanc huius loci argumentationem esse insequenti sententia simili verborum ordine constructa comprobari mihi videtur; qua ex insequenti sententia coniecturam quoque petivi *τήν* pro *ἥν* Badhamium secutus. Nam si *ἥν*, quod codices exhibent, rectum esset, relativae huius sententiae verbum esset repetendum *προσείποιμεν ἄν* ita, ut iis quae antecedunt verbis *τὴν χάριν ἣν ἡδονὴν ἂν προσείποιμεν* opponeretur *ἣν δὲ* (sc. *χάριν*) *ὀρθότητά τε καὶ ὠφελίαν* (intell. *προσείποιμεν ἄν*), quod omni sensu caret, nam *χάρις* vocabulis *ὀρθότης* et *ὠφελία*, ut ex insequenti sententia apparet, opponitur neque, id quod haec codicum verba significant, *χάρις* in duas partes dividitur, quarum altera *ἡδονή*, altera *ὀρθότης* et *ὠφελία* est. — Accusativi *τὴν δὲ ὀρθότητά τε καὶ ὠφελίαν* regantur oportet verbo quod idem fere significet quod in insequenti sententia participium *ἀποτελοῦσαν*. Ut *τὸ ὑγιεινόν* respondet notioni *τὴν ἀλήθειαν* alterius sententiae, ita illi *εἶναι τὴν ἀποτελοῦσαν* respondeat necesse est *εἶναι τὸ ἀποτελοῦν* vel simile quidquam. Quod codices exhibent *ὀρθότατον* nullo modo rectum est, cum vocabulum desideretur ex quo accusativi *ὀρθότητα* et *ὠφελίαν* pendeant; sed *ἀποτελοῦν* quod sententiae satisfacit vereor ne vestigiis traditis parum satisfaciat. Vocabulum quod et sententiae et vestigiis traditis satisfaceret non inveni; Schanz cruce hunc locum notavit.

Plato sic pergit: *ΑΘ: καὶ τῇ μαθήσει παρακολουθεῖν μὲν τό γε τῆς χάριτος τὴν ἡδονήν, τὴν δὲ ὀρθότητα καὶ τὴν ὠφελίαν καὶ τὸ εὖ καὶ τὸ καλῶς τὴν ἀλήθειαν εἶναι τὴν ἀποτελοῦσαν. — ΚΛ: ἔστιν οὕτως. — ΑΘ: τί δαί; τῇ*[1]) *τῶν ὁμοίων ἐργασίᾳ ὅσαι τέχναι εἰκαστικαὶ ἆρ' οὐκ, ἂν τοῦτο*

---

1) Ita codices. Quod interpretandum est „quid porro? quot artes eo quod similia effingunt imitatrices sunt" (sive „inter imitatrices numerandae sunt"). Schanz cum *τῇ τῶν ὁμοίων ἐργασίᾳ εἰκαστικαί* tautologiam ineptam existimaret esse coniecit *τί δὲ τῆς τῶν ὁμοίων ἐργασίας; ὅσαι* . . . Lepida coniectura, sed non necessaria ideoque reicienda.

ἐξεργάζωνται, τὸ μὲν ἡδονὴν ἐν αὐτοῖς γίγνεσθαι, παρεπόμενον ἐὰν γίγνηται, χάριν αὐτὸ δικαιότατον ἂν εἴη προσαγορεύειν; — ΚΛ: ναί. — ΑΘ: τὴν δέ γε ὀρθότητά που τῶν τοιούτων ἡ ἰσότης ἄν, ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν εἰπεῖν, ἐξεργάζοιτο τοῦ τοιούτου πρότερον ἀλλ' οὐχ ἡδονή. — ΚΛ: καλῶς. — ΑΘ: οὐκοῦν ἡδονῇ κρίνοιτ' ἂν μόνον ἐκεῖνο ὀρθῶς, ὃ μήτε τινὰ ὠφελίαν μήτε ἀλήθειαν μήτε ὁμοιότητα ἀπεργαζόμενον παρέχεται, μηδ' αὖ γε βλάβην, ἀλλ' αὐτοῦ τούτου μόνον ἕνεκα γίγνοιτο τοῦ ξυμπαρεπομένου τοῖς ἄλλοις, τῆς χάριτος, ἣν δὴ κάλλιστά τις ὀνομάσαι ἂν ἡδονήν, ὅταν μηδὲν αὐτῇ τούτων ἐπακολουθῇ.

Hoc loco Plato hanc *χάριν* insuper accedentem non magni aestimat; quasi ornamentum gratum quidem, non tamen necessarium ei videtur esse; sed certo tantum huius loci consilio hoc efficitur, cum Plato salubritatem, veritatem, artes imitatrices non ex ista *χάριτι*, sed ex sua ipsarum natura metiendas esse affirmare velit.

Nam haec *χάρις*, haec vis laetificatrix, quae ad ceteram alicuius rei naturam ut comes accedit ceterum neque Platoni neque omnino Graecis ornamentum tantum supervacaneum est sed res gravissima, qua deficiente perfectae et absolutae res esse non possunt. — De Apelle Plinius narrat, Nat. hist. XXXV, 79: „... quorum (reliquorum pictorum) opera cum admiraretur, omnibus conlaudatis deesse illam suam venerem dicebat, quam Graeci *χάριτα* vocant; cetera omnia contigisse, sed hac sola sibi neminem parem." — Apelli igitur maximi momenti est haec *χάρις* quam suae arti inesse dicit, ea imprimis opus esse ad artem consummandam iudicat, hac una se reliquos pictores superare gloriatur, etsi opera eorum pulchra quidem vel vera sint (cf. „cetera omnia contigisse").

Conferenda sunt ea quae Pindarus de Gratiis dicit, O. 14, 5:

σὺν γὰρ ὔμμιν τὰ τερπνὰ καὶ
τὰ γλυκέ' ἄνεται πάντα βροτοῖς,
εἰ σοφός, εἰ καλός, εἴ τις ἀγλαὸς ἀνήρ,

ubi illo *ἄνεται* (perficitur) Gratiae omnium rerum ceteroquin iam bonarum (cf. *εἰ σοφός, εἰ καλός, εἴ τις ἀγλαὸς ἀνήρ*) consummatrices laudantur. Plura de hoc loco cap. II.

Huc referendus est locus ille Thucydideus quo Periclem has Athenarum laudes celebrantem inducit (II, 41): *ξυνελών τε λέγω τήν τε πᾶσαν πόλιν τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν εἶναι καὶ καθ' ἕκαστον δοκεῖν ἄν μοι τὸν αὐτὸν ἄνδρα παρ' ἡμῶν ἐπὶ πλεῖστ' ἂν εἴδη καὶ μετὰ χαρίτων μάλιστ' ἂν εὐτραπέλως τὸ σῶμα αὔταρκες παρέχεσθαι.* Sententia haec fere est: In urbe nostra unusquisque civis non uni tantum negotio par est, sed idem vir ad plurima negotiorum genera (*ἐπὶ πλεῖστα εἴδη*) dextre (*εὐτραπέλως*) idoneum se praebet *μετὰ χαρίτων,* i. e. ita ut placeat, ut animi et morum elegantia alios homines laetitia afficiat (cf. quae ad Ar. Lysistr. 545 adnotavi, p. 19). Inter summas igitur Atheniensium laudes a Pericle commemoratur omnia eos *μετὰ χαρίτων* facere.

Plura afferam exempla eo capite quo de singulis scriptoribus disseram.

Quod Graeci tanti aestimaverunt hanc *χάριν,* quantum laetitiae tribuerint ostendit. Quibus aliqua res quae, etsi ceteroquin sine ullo vitio est, animum hominum laetitia non afficit perfecta atque omnibus numeris absoluta non videtur esse. Est ille mos Graecorum quo omnibus in rebus ex homine modulum capiunt; de hoc more sagacissime egit Ioh. Classen „Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch“ (sub finem, praecipue p. 196 sqq.), appellat eum „die Lebhaftigkeit der persönlichen (subjectiven) Auffassung“; affert illud Protagorae *πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος.*

Hanc *χάριν* atque omnino laetitiam non modo a nonnullis poetis et artificibus sed etiam ab universo populo Graeco tanti aestimatam esse et e salutatione *χαῖρε* „laetare“ [1]) et e magno numero nominum a radice *χαρ* derivatorum

1) E. Curtius „Die Volksgrüsse der Neugriechen“. (Gesamm. Abh. II p. 515): „Schlicht und einfach, sinnig und bedeutungsvoll zu-

apparet. Praecipue Atticorum nominum multitudo notabilis est. Cum exempli causa haec nomina cum nominibus a radicibus *νικ* et *καλ* derivatis, quae praeter cetera inter creberrima numerantur, comparavissem, nomina a radice *χαρ* derivata Athenis ea paene adaequaverunt, in ceteris Graeciae regionibus plerumque non multo plus dimidio eorum effecerunt. Qua cum re conferendae sunt laudes illae Atheniensium quos Thucydides omnia *μετὰ χαρίτων* facere dicit (II, 41).

Itaque laetitiam, quam quanti Graeci aestimavissent his cognovimus observationibus, in philosophia quoque Graecorum magni esse aestimatam mirandum non est. Theodorus, unus e philosophis Cyrenaicis qui nominantur, singulis voluptatibus, quas ceteri Cyrenaici expetendas esse docuerunt, omissis ipsum laetum animi habitum (*χαράν*) summum vitae humanae finem et consummationem (*τέλος*) esse affirmavit[1]) (cf. Gratias omnium rerum consummatrices). Atque is posterioris aetatis philosophus, qui homo vere Atheniensis[2]) erat neque, ut Stoicorum auctor Zeno, e barbara gente ortus, Epicurus laetitiae tantum tribuit, ut ad *ἡδονήν* (cf. *ἥδεσθαι* „laetari") omnia referret: cf. Epicuri epist. III, 128 (Usener, Epic. p. 62 sq.): *καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἡδονὴν ἀρχὴν καὶ τέλος λέγομεν εἶναι τοῦ μακαρίως ζῆν. ταύτην γὰρ ἀγαθὸν πρῶτον καὶ συγγενικὸν ἔγνωμεν, καὶ ἀπὸ ταύτης καταρχόμεθα πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς καὶ ἐπὶ ταύτην καταντῶμεν ὡς κανόνι τῷ πάθει πᾶν ἀγαθὸν κρίνοντες.* Immo cum virtute negavit vivi posse, nisi cum laetitia (*ἡδέως*) viveretur: cf. Epicuri sentent. 5 (Usener p. 72): *οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ*

---

gleich, wie alles Hellenische, war der alte Volksgruss, welcher, von allem Zufälligen und Unwesentlichen absehend, das Eine betonte, worauf der Wert des Lebens beruht, die Freude am Dasein, welche wie der Lebensodem durch die griechische Welt geht."

1) Laert. Diog. II, 8, 98. cf. Zeller „Philosophie der Griechen" II, 1, pag. 378.

2) Laert. Diog. X, 1, 1. Lucret. VI, 5.

φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως ἄνευ τοῦ ἡδέως.[1])

Sed exempla illius *χάριτος* insuper accedentis (p. 23) repetamus:

Plat. de re publ. VII p. 528 C: Disciplinae stereometricae plures homines operam dabunt, si res publica huic disciplinae honorem tribuerit, *ἐπεὶ καὶ νῦν ὑπὸ μὲν τῶν πολλῶν ἀτιμαζόμενα καὶ κολουόμενα, ὑπὸ δὲ τῶν ζητούντων λόγον οὐκ ἐχόντων καθ' ὅτι χρήσιμα ὅμως πρὸς ἅπαντα ταῦτα βίᾳ* („trotz dem allem") *ὑπὸ χάριτος αὐξάνεται καὶ οὐδὲν θαυμαστὸν αὐτὰ φανῆναι. — Καὶ μὲν δή, ἔφη, τό γε ἐπίχαρι*[2]) *καὶ διαφερόντως ἔχει.*

Ar. Vesp. 1278: *πρῶτα μὲν ἅπασι φίλον ἄνδρα τε σοφώτατον, τὸν κιθαραοιδότατον, ᾧ χάρις ἐφέσπετο.*

Saepe, atque praecipue in litteris id quod delectat (*ἡ χάρις*) in orationis et sermonis elegantia, in lepida forma situm est, ut Platonis Protagoras non austera disputatione sed venusta fabula, quam Graeci appellant *μῦθον*, quid sentiat explicat: *δοκεῖ τοίνυν μοι, ἔφη, χαριέστερον εἶναι μῦθον ὑμῖν λέγειν* (Plut. Prot. p. 320 C).

Vel ipsi argumento aliquid delectationis inest:

Ar. Vesp. 1400: Philocleon fabulam narraturus dicit:
ἄκουσον, ὦ γύναι· λόγον σοι βούλομαι
λέξαι χαρίεντα.

Hac ratione *χάρις* apud rhetores certa significatio facta est; eam significat sermonis virtutem qua delectantur homines. Cuius usus exemplum affero aliis omissis Demetrii de elocu-

---

1) „Sît daz nieman âne fröide touc,
sô wolte ouch ich vil gerne fröide hân . . ."
(Walther von der Vogelweide, pag. 99, 13 Lachmann. cf. quae adnotavit Wilmanns).

2) *ἐπίχαρις* „cui *χάρις* adiuncta est" („an dem *χάρις* ist").

tione libellum.[1]) Hic scriptor in perpolito genere sermonis quod *γλαφυρὸν λόγον* nominat tractando (§ 128—189) de generibus *χαρίτων* in eo adhibitis loquitur. His verbis illum *γλαφυρὸν λόγον* significat (§ 128): *ὁ γλαφυρὸς λόγος χαριεντισμός*[2]) *ἐστιν καὶ λόγος ἱλαρός*. Pergit: *τῶν δὲ χαρίτων αἱ μέν εἰσιν μείζονες καὶ σεμνότεραι, αἱ τῶν ποιητῶν, αἱ δὲ εὐτελεῖς μᾶλλον καὶ κωμικώτεραι, σκώμμασιν ἐοικυῖαι, οἷον αἱ Ἀριστοτέλους χάριτες καὶ Σώφρονος καὶ Λυσίου*. Exemplis ab eo allatis apparet priores illas *χάριτας* venustates esse et argumenti et dictionis, alteras esse irrisiones et cavillationes lepidas quibus laetitia efficiatur. Deinde quibus in rebus hae *χάριτες* appareant dicit: vel in re ipsa vel in elocutione.[3]) Sequuntur (§ 136) *οἱ τόποι ἀφ' ὧν αἱ χάριτες*. Quibus ex locis hunc scriptorem vocabulo *χάρις* omnia ea apparet significare quae in litteris eum qui audit vel legit delectant, sive argumenti venustate sive venusta elocutionis forma sive urbanitate sive lepida cavillatione. Segregat hanc *χάριν* a ridiculo: (§ 163) *διαφέρουσι δὲ τὸ γελοῖον καὶ εὔχαρι πρῶτα μὲν τῇ ὕλῃ* — (§ 164) *διαφέρουσι δὲ καὶ τῇ λέξει αὐτῇ. τὸ μὲν γὰρ εὔχαρι μετὰ κόσμου*[4]) *ἐκφέρεται καὶ δι' ὀνομάτων καλῶν, ἃ μάλιστα ποιεῖ τὰς χάριτας . . . τὸ δὲ γελοῖον καὶ ὀνομάτων ἐστὶν εὐτελῶν καὶ κοινοτέρων.* — (§ 168) *μάλιστα δὲ διαφέρουσιν καὶ ἐκ προαιρέσεως· οὐ γὰρ ὅμοια προαιρεῖται ὁ εὐχάριτος καὶ ὁ γελωτοποιῶν, ἀλλ' ὁ μὲν εὐφραίνειν, ὁ δὲ*

---

1) Praeterea cf. quae Radermacher adnotavit pag. 94/95.

2) cf. *χαριεντίζεσθαι* § 141 „aliquid *χαρίεν* (i. e. delectationis plenum) reddere“.

3) § 132: *εἰσὶν δὲ αἱ μὲν ἐν τοῖς πράγμασι, οἷον νυμφαῖοι κῆποι, ὑμέναιοι, ἔρωτες, ὅλη ἡ Σαπφοῦς ποίησις. τὰ γὰρ τοιαῦτα, κἂν ὑπὸ Ἱππώνακτος λέγηται, χαρίεντά ἐστι, καὶ αὐτὸ ἱλαρὸν τὸ πρᾶγμα ἐξ ἑαυτοῦ.* et § 133: *πολλάκις δὲ καὶ τὰ μὲν πράγματα ἀτερπῆ ἐστι φύσει καὶ στυγνά, ὑπὸ δὲ τοῦ λέγοντος γίνεται ἱλαρά.*

4) Ordo et concinnitas quae cum *χάριτι* saepe coniuncta sunt (cf. Plat. Tim. p. 47 C) postea in significatione rhetorica *χάρις* explicanda magis praevalent; cf. Dionys. Hal. de Lysia iudic. cap. 10 et 11 (vol. I pag. 18/19 ed. Usener-Radermacher).

γελασθῆναι. — Hunc scriptorem in vocabulo *χάρις* primariam significationem laetificandi intelligere apparet et illo *εὐφραίνειν* et vocabulis *ἡδονή* et *χάρις* coniunctis (§ 180: *τάχα γὰρ δὴ ἔσται τις ἡδονὴ καὶ χάρις, ἐάν* . . ., cf. § 181: *ἡ ἐκ τῆς τοιαύτης ἡδονῆς χάρις).*

Quomodo ista *χάρις* quae ad rem ipsam, ut supra demonstravimus, accedens consummatam, Graecorum quidem iudicio, et perfectam reddit rem inter summas laudes et virtutes numeretur ostendat Plat. de re publ. VI p. 487 A: Sapientiae studiosi, quos Plato rei publicae praeesse vult, cum alias virtutes tum hanc, ut sint *εὐχάριτες*, habere debent: *ἔστιν οὖν ὅπῃ μέμψῃ τοιοῦτον ἐπιτήδευμα, ὃ μήποτ' ἄν τις οἷός τε γένοιτο ἱκανῶς ἐπιτηδεῦσαι, εἰ μὴ φύσει εἴη μνήμων, εὐμαθής, μεγαλοπρεπής, εὔχαρις, φίλος τε καὶ συγγενὴς ἀληθείας, δικαιοσύνης, ἀνδρείας, σωφροσύνης;*

Plura exempla quae quanti Plato quoque (neglecto illo iudicio quod supra attulimus, de leg. II p. 667 B) aestimaverit hanc *χάριν* ostendant eo afferam capite quo de singulis scriptoribus disseram.

Interdum *χάρις* invenitur ubi nos graviorem exspectemus significationem; ostendunt tales loci quanti aestimata sit: Aeschylus cum dicere vult eum pium non esse qui neget deos curam habere mortalium a quibus res sacrae conculcentur rem ita enuntiat:

(Agam. 371) *οὐκ ἔφα τις*
θεοὺς βροτῶν ἀξιοῦσθαι μέλειν
ὅσοις ἀθίκτων χάρις
πατοῖθ'· ὁ δ' οὐκ εὐσεβής.

Eur. Med. 439: *βέβακε δ' ὅρκων χάρις, οὐδ' ἔτ' Αἰδὼς*
Ἑλλάδι τᾷ μεγάλᾳ μένει, αἰθερία δ' ἀνέπτα.

Eur. Androm. 491: *ἄθεος ἄνομος ἄχαρις ὁ φόνος.*

Omnibus exemplis quae hactenus allata sunt vocabulo *χάρις* significationem inesse vidimus rei quae laetitiam efficit. Etymologia quoque laetitiae notio probatur verbo *χαίρειν*. At *χάριν* non esse intransitive laetitiam vel laetum animi habitum sed transitive et active id quod laetitiam parat [1]) probatur et exemplis iam allatis et his confirmabitur exemplis:

Pind. P. 1, 33: *ναυσιφορήτοις δ' ἀνδράσι πρώτα χάρις*
ἐς πλόον ἀρχομένοις πομπαῖον ἐλθεῖν οὖρον.

Aesch. Ag. 787: *πῶς σε προσείπω; πῶς σε σεβίζω*
μήθ' ὑπεράρας μηθ' ὑποκάμψας
καιρὸν χάριτος;

καιρὸς χάριτος is laudandi et honorandi (cf. *σεβίζω*) modus est, cui *χάρις* inest; qui *καιρός* laudibus immodicis *ὑπεραίρεται*, laudibus iusto parcioribus *ὑποκάμπτεται*.

cf. Eur. Iph. Aul. 978: *πῶς ἂν σ' ἐπαινέσαιμι μὴ λίαν λόγοις,*
μηδ' ἐνδεῶς τοῦδ' ἀπολέσαιμι τὴν χάριν;
(„id quo laetificaris").

Aesch. Ag. 1304: *ἀλλ' εὐκλεῶς τοι κατθανεῖν χάρις βροτῷ.*

Aesch. Choeph. 517. Inferiae Agamemnoni mortuo missae sunt, ut eum laetitia afficerent, sed
θανόντι δ' οὐ φρονοῦντι δειλαία χάρις
ἐπέμπετο . . .

Eur. fr. 360: *τὰς χάριτας ὅστις εὐγενῶς χαρίζεται*
ἥδιον ἐν βροτοῖσιν.

Laetitia ipsa (intransitive) vel laetus animi habitus non est *χάρις* sed *χαρά*:

Soph. Ant. 392: *ἀλλ' ἡ γὰρ ἐκτὸς καὶ παρ' ἐλπίδας χαρὰ*
ἔοικεν ἄλλῃ μῆκος οὐδὲν ἡδονῇ.

---

1) Cavere debemus, ne ea re quod nos vertere possumus „Freude" in errorem abducamur; nam Germanicum „Freude" et animi habitum significat et rem hunc animi habitum efficientem, ut in hac sententia „etwas ist jemandes Freude", ubi „Freude" pro „das Erfreuende" dicitur, cuius rei Latina significatio „gratum" est, non „laetitia".

Aesch. Ag. 587: *ἀνωλόλυξα καὶ πάλαι χαρᾶς ὕπο,*
ὅτ' ἦλθ' ὁ πρῶτος νύχιος ἄγγελος πυρός.
Eur. Phoen. 170:
ἥξει (Polynices) *δόμους τούσδ', ὥστε σ' ἐμπλῆσαι χαρᾶς,*
ἔνσπονδος.
Eur. El. 401: *νῦν ἢ πάροιθεν μᾶλλον, Ἠλέκτρα, χαρᾷ*
θερμαινόμεσθα καρδίαν.

Etymologia quoque in Cratylo a Platone prolata, quae etsi absurda est tamen quid Plato ipse senserit de huius vocabuli vi aperit, hanc intransitivam vim vocabulo *χάρις* inesse comprobat:
Plat. Crat. p. 419 C: *χαρὰ δὲ τῇ διαχύσει καὶ εὐπορίᾳ τῆς ῥοῆς τῆς ψυχῆς ἔοικε κεκλημένη.*

Substantiva a verbis derivata in *-α* terminata primitus, ut demonstravit Usener[1]), nomina agentis personae erant, genus femininum ad nomina actoris in *-ος* terminata[2]) pertinens significabant: *τροφός* „qui nutrit" — *τροφή* „quae nutrit"; cf. *σκοπός* — *σκοπή*, *μολπός* — *μολπή*. Quae tamen formae generis feminini saepe acceperunt vim nominum actionis[3]): *τροφή* „nutritio", *σκοπή* „spectandi actio", *μολπή* „canendi actio". Similiter explicari potest *χαρά* (ad verbum *χαίρειν* „laetari" pertinens) „quae laetatur"; quae tamen significatio non iam invenitur, sed significat *χαρά* (cf. *τροφή*, *σκοπή*, *μολπή*) actionem ipsam laetandi, i. e. laetitiam, ut exempla demonstrant.

Quomodo inter se differant *χαρά* et *χάρις* breviter ostendit hic locus Plutarchi (Moral. p. 778 C): *χαρᾶς γὰρ οὐδὲν οὕτω γόνιμόν ἐστιν ὡς χάρις,* ubi *χάρις* ea gratia (res laetificans)

---

1) Götternamen, p. 371 sqq.

2) cf. Fraenkel „Griechische Denominativa", p. 210 adnot. 2.

3) cf. Usener, p. 374: „Es ergibt sich aus diesen Beobachtungen die allgemeine Folgerung, dass die weibliche Form des Adjectivums überhaupt das Vermögen besitzt, die Vorstellung, die durch das Wort erregt wird, abstrakt zu bezeichnen."

est qua is qui ipse laetitiam *(χαράν)* adipisci vult alium afficit.

Vocabulum *χάρις* significare id quod laetitiam parat supra demonstratum est.] Itaque pluralis *χάριτες*, qui saepius iam in iis quae antecedunt occurrit vel complures significavit res laetificantes, ut loco illo Hippocrateo (p. 3), Iph. Aul. 1222 (p. 4), vel complures rationes laetificandi, ut Iph. Taur. 1147 (p. 20) et locis illis e Demetrio petitis (p. 30).

Accedant haec exempla:

Pind. P. 3, 72: *τῷ* (sc. Hieroni aegroto) *μὲν διδύμας χάριτας εἰ κατέβαν ὑγίειαν ἄγων χρυσέαν κῶμόν τ' ἀέθλων Πυθίων αἴγλαν.*

Pind. I. 1, 6. Pindarus Ceis carmen pollicitus primum Thebanis carmen facit alterumque carmen Ceis postea se perfecturum esse promittit:

ἀμφοτέρων τοι χαρίτων σὺν θεοῖς ζεύξω τέλος.

χάριτες haec carmina appellantur, quod per ea *χαρίζεται* poeta; cf. schol.: *ἀμφοτέρων τῶν χαρίτων τὸ τέλος συζεύξω, καθ' ἥν τε σοὶ χαριστέον ἐστὶ καὶ καθ' ἥν τῇ πατρίδι.*

Eur. Troad. 1109: *χρύσεα δ' ἔνοπτρα, παρθένων*
χάριτας, ἔχουσα τυγχάνει Διὸς κόρα (Helena).

„quae puellis laetitiam parant".

Ar. Eccl. 582:

ἀλλ' οὐ μέλλειν, ἀλλ' ἅπτεσθαι καὶ δὴ χρὴ ταῖς διανοίαις,
ὡς τὸ ταχύνειν χαρίτων μετέχει πλεῖστον παρὰ τοῖσι θεαταῖς.

Ar. Ran. 335: *θρασεῖ δ' ἐγκατακρούων*
ποδὶ τὰν ἀκόλαστον
φιλοπαίγμονα τιμάν,
χαρίτων πλεῖστον ἔχουσαν μέρος, ἁγνάν, ὁσίοις
μετὰ μύσταισι χορείαν.

Illud „*φιλοπαίγμονα τιμάν*" per appositionem explicatur vocabulo *χορείαν*; haec *χορεία* maximam rerum laetificantium

(gratarum) partem habet (cf. *πλεῖστον μετέχει χαρίτων* Eccl. 582). Schol.: *ἀντὶ τοῦ χαρίτων πεπληρωμένην, ὅ ἐστι κεχαριτωμένην.*

Plat. Conv. p. 197 D. Amor appellatur „*τρυφῆς, ἁβρότητος, χλιδῆς, χαρίτων, ἱμέρου, πόθου πατήρ.*" — *χάριτες* hic non deae intelligendae sunt, sed res gratae, quamquam illud „*πατήρ*" cum deabus magis congruere videtur. Sed neque Amorem, cum ipse Agatho puerum Amorem esse paulo ante affirmaverit („*ἀλλά φημι νεώτατον αὐτὸν εἶναι θεῶν καὶ ἀεὶ νέον*"), Gratiarum patrem ab eodem Agathone appellari verisimile est neque usquam apud poetas, quod ego quidem sciam, Amor Gratiarum pater invenitur neque cum ceteris vocabulis quae antecedunt *τρυφή, ἁβρότης, χλιδή,* quae res, non deae sunt, congruunt Gratiae. Sed Amorem rerum laetificantium auctorem esse Agathonis sententia est, quam cum ipse poeta sit poetico sermone exornat atque patrem hic auctorem sive effectorem dicit.

Plat. de leg. VII p. 796 B: *ἀλλὰ προστακτέον μαθηταῖς τε ἅμα καὶ τοῖς διδάξουσιν, ὅταν ἐνταῦθ' ὦμεν τῶν νόμων, τοῖς μὲν πάντα τὰ τοιαῦτα εὐμενῶς δωρεῖσθαι, τοῖς δὲ παραλαμβάνειν ἐν χάρισιν.* — *παραλαμβάνειν ἐν χάρισιν* est „accipere ut rem quae inter res gratas numeranda est". Similiter

Soph. Ant. 897: *ἐλθοῦσα μέντοι κάρτ' ἐν ἐλπίσιν τρέφω*
φίλη μὲν ἥξειν πατρί, προσφιλὴς δὲ σοί . . .

„quod caram patri me venturam esse puto id ut rem quae inter res in spem me adducentes numeranda est alo". Ut haec verba idem valent ac „spem alo sive spero me patri caram venturam esse", ita locus ille Platonicus significat „accipere ut rem gratam", i. e. laetis et gratis animis.

Hanc vocabuli *χάρις* significationem principalem rei quae laetitiam efficit respicientes nonnullos interpretemur locos:

Pind. P. 11, 58: . . . *γλυκυτάτᾳ γενεᾷ*
εὐώνυμον κτεάνων κρατίσταν χάριν πορών.

gloria nominatur *εὐώνυμος χάρις* quae omnium rerum quas quis possidet *κρατίστη χάρις* est.

Pind. O. 2, 10:

αἰὼν δ' ἔφεπε μόρσιμος, πλοῦτόν τε καὶ χάριν ἄγων
γνησίαις ἐπ' ἀρεταῖς.

Theronis gentem, quae antea multa mala perpessa erat, postea vita fausta a dis fatalibus decreta comitabatur, quae ad proprias et insitas virtutes gentis etiam divitias atque omne genus rerum laetificantium attulit. —

Eur. Hipp. 1408: *ὄλωλα, τέκνον, οὐδέ μοι χάρις βίου.*
„vita me non afficit laetitia", i. e. mors mihi grata est.

cf. Eur. Med. 227: *οἴχομαι δὲ καὶ βίου*
χάριν μεθεῖσα κατθανεῖν χρῄζω, φίλαι.

et Eur. Iph. Taur. 847, ubi Iphigenia fratre agnito dicit:

χάριν ἔχω ζόας, χάριν ἔχω τροφᾶς,
ὅτι μοι συνομαίμονα
τόνδε δόμοισιν ἐξεθρέψω (patria) *φάος.*

et Aesch. Ag. 1058: *τὰ μὲν γὰρ ἑστίας μεσομφάλου*
ἕστηκεν ἤδη μῆλα πρὸς σφαγὰς πάρος,
ὡς οὔποτ' ἐλπίσασι τήνδ' ἕξειν χάριν.

Ceterum his quos proximos attuli locis *χάριν ἔχειν* non est „gratificationem acceptam tenere" (sc. memoria), ut pag. 9 invenimus, sed „aliquid quod laetitia afficiat accipere". —

Theocr. 28, 24 (*Ἠλακάτη*):

κῆνο γάρ τις ἐρεῖ τὤπος ἰδών σ'· ἦ μεγάλα χάρις
δώρῳ σὺν ὀλίγῳ· πάντα δὲ τιματὰ τὰ πὰρ φίλων.

„magna vis laetificatrix comitatur parvum donum".

Eur. Hipp. 95: *ΙΠ: . . . τίς δ' οὐ σεμνὸς ἀχθεινὸς βροτῶν;*
ΘΕ: ἐν δ' εὐπροσηγόροισιν ἔστι τις χάρις;
ΙΠ: πλείστη γε, καὶ κέρδος γε σὺν μόχθῳ βραχεῖ.

„aliquid quod hominibus laetitiam parat", „quod placet".

cf. Od. 15, 320: *Ἑρμείαο ἕκητι διακτόρου, ὅς ῥά τε πάντων*
ἀνθρώπων ἔργοισι χάριν καὶ κῦδος ὀπάζει.[1])

„id quo laetitiam parant", „quo placent". —

---

1) cf. *Ἑρμῆς χαριδότης*, et Gratiae cum Mercurio coniunctae.

Theocr. 22, 168: *ἴσκον τοιάδε πολλά, τὰ δ' εἰς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα πνοιῇ ἔχουσ' ἀνέμοιο, χάρις δ' οὐχ ἕσπετο μύθοις.*
„verba non ea erant quae laetitiam effecerint", i. e. verba non placuerunt, non comprobata sunt.

cf. Plat. Conv. p. 183 B: *τῷ δ' ἐρῶντι πάντα ταῦτα ποιοῦντι χάρις ἕπεται.* „amator si haec omnia facit probatur hominibus". Opponitur illud „*χάρις ἕπεται*" verbis *ὀνειδίζειν, νουθετεῖν* quae antecedunt. —

Soph. El. 356. Electra: *λυπῶ δὲ τούτους, ὥστε τῷ τεθνηκότι τιμὰς προσάπτειν, εἴ τις ἔστ' ἐκεῖ χάρις.*
„siquidem aliquid est quod ibi (apud mortuos) laetitiam paret".

Plat. de leg. VII p. 796 C: *ἡ δὲ αὖ που παρ' ἡμῖν κόρη καὶ δέσποινα* (Minerva) *εὐφρανθεῖσα τῇ τῆς χορείας παιδιᾷ κεναῖς χερσὶν οὐκ ᾠήθη δεῖν ἀθύρειν, πανοπλίᾳ δὲ παντελεῖ κοσμηθεῖσα οὕτω τὴν ὄρχησιν διαπεραίνειν· ἃ δὴ πάντως μιμεῖσθαι πρέπον ἂν εἴη κόρους τε ἅμα καὶ κόρας τὴν τῆς θεοῦ χάριν τιμῶντας.* „id quod deam laetitia afficit (cf. *εὐφρανθεῖσα*) in honore habentes".

Rhes. 163: *οὔκουν πονεῖν μὲν χρή, πονοῦντα δ' ἄξιον*
μισθὸν φέρεσθαι; παντὶ γὰρ προκείμενον
κέρδος πρὸς ἔργῳ τὴν χάριν τίκτει διπλῆν.

Sententia est: factum ipsum iam aliquid quod laetificet (*χάριν*) habet (ut gloriam etc.), sin autem accedit *κέρδος*, duplex fit haec *χάρις*. —

Eur. Suppl. 79 chorus vel *χάριν γόων* dicere potest, quandoquidem lamentando dolorem quasi effundit, laetitiamque sibi comparat[1]):

ἄπληστος ἅδε μ' ἐξάγει χάρις γόων
πολύπονος . . .

---

1) cf. Lessing, Laokoon XXV: „Die Seele hat die Freiheit, sich bald bei dem vergnüglichen, bald bei dem widrigen Teile einer Leidenschaft zu verweilen und sich eine Vermischung von Lust und Unlust selbst zu schaffen, die reizender ist als das lauterste Vergnügen."

Eur. Iph. Aul. 565: *τό τε γὰρ αἰδεῖσθαι σοφία,*
τάν τ' ἐξαλλάσσουσαν ἔχει
χάριν, ὑπὸ γνώμας ἐσορᾶν
τὸ δέον, ἔνθα δόξα φέρει
κλέος ἀγήρατον βιοτᾷ.

Subiectum est „*τὸ αἰδεῖσθαι*" (pudor et pia verecundia); de hoc *αἰδεῖσθαι* duas res dicit poeta: est sapientia *(σοφία,* sc. *ἐστίν)* et habet *τὴν ἐξαλλάσσουσαν χάριν* „secum fert id quod remunerationis loco *(ἐξαλλάσσουσαν)* laetitiam paret", i. e. „habet aliquid praemii laetificantis"; quae sit haec *ἐξαλλάσσουσα χάρις* per appositionem significatur infinitivo *ὑπὸ γνώμας ἐσορᾶν τὸ δέον* „ut consilio et intelligentia videat aliquis quid facere debeat (officium suum), ubi (quo in officio exsequendo) fama gloriam non senescentem vitae affert".

Insequenti loco vocabulum *χάρις* cum vocabulo *ἡδονή* coniunctum est; *ἡδονή* voluptas est, *χάρις* vim significat laetificantem quam in homines habet voluptas:

Plat. Gorg. p. 462 C. Socrates artem oratoriam non *τέχνην* sed *ἐμπειρίαν* esse dixit; tum Polus: *τίνος ἐμπειρία; — ΣΩ: χάριτός τινος καὶ ἡδονῆς ἀπεργασίας. — ΠΩ: οὐκοῦν καλόν σοι δοκεῖ ἡ ῥητορικὴ εἶναι, χαρίζεσθαι οἷόν τε εἶναι ἀνθρώποις;* — Deinde artem coquinariam eiusdem rei *(χάριτός τινος καὶ ἡδονῆς ἀπεργασίας)* experientiam esse dicit.

Significationi illi primariae vocabuli *χάρις* adiectivum respondet *χαρίεις* „cui *χάρις* inest", i. e. „qui laetitiam parat":

Od. 3, 58: *αὐτὰρ ἔπειτ' ἄλλοισι δίδου χαρίεσσαν ἀμοιβὴν*
σύμπασιν Πυλίοισιν ἀγακλειτῆς ἑκατόμβης.

et verbum *χαρίζεσθαι* „laetitiam parare" „laetificare":

Od. 8, 538: *Δημόδοκος δ' ἤδη σχεθέτω φόρμιγγα λίγειαν·*
οὐ γάρ πως πάντεσσι χαριζόμενος τάδ' ἀείδει.

Interdum *χαρίζεσθαι* et *χάρις* per vituperationem dicuntur, si quis malae rei quasi laetitiam parat atque indulgens grati-

ficatur vel si id tantum spectat, ut homini cuidam gratificetur, etsi aequum et iustum non est:

Soph. El. 331: *κοὐδ' ἐν χρόνῳ μακρῷ διδαχθῆναι θέλεις θυμῷ ματαίῳ μὴ χαρίζεσθαι κενά;*

Plat. Apol. p. 35 C: *οὐ γὰρ ἐπὶ τούτῳ κάθηται ὁ δικαστής, ἐπὶ τῷ καταχαρίζεσθαι τὰ δίκαια, ἀλλ' ἐπὶ τῷ κρίνειν ταῦτα· καὶ ὀμώμοκεν οὐ χαριεῖσθαι οἷς ἂν δοκῇ αὐτῷ, ἀλλὰ δικάσειν κατὰ τοὺς νόμους. — καταχαρίζεσθαι τὰ δίκαια* est „alteri laetitiam parando ius negligere".

Plat. Gorg. p. 551 A: *ἐπὶ ποτέραν οὖν με παρακαλεῖς τὴν θεραπείαν τῆς πόλεως, διόρισόν μοι· τὴν τοῦ διαμάχεσθαι Ἀθηναίοις, ὅπως ὡς βέλτιστοι ἔσονται, ὡς ἰατρόν, ἢ ὡς διακονήσοντα καὶ πρὸς χάριν ὁμιλήσοντα;*

Theocr. 5, 69: *τὺ δ' ὠγαθὲ μήτ' ἐμέ, Μόρσων, ἐν χάριτι κρίνῃς, μήτ' ὦν τύγα τοῦτον ὀνάσῃς.*
cf. v. 71. —

Saepe *χαρίζεσθαι* et *χάρις* in re amatoria usurpantur; gratificandi varias rationes quibus alter alterum amore secum coniunctum laetitia afficit significant. Notissima sunt huius usus exempla quae inveniuntur in Platonis Phaedro et Convivio. Etsi nonnunquam haec *χάρις* prope accedit ad notionem voluptatis amatoriae, tamen hoc vocabulo non tam ipsa significatur voluptas quam laetitia qua alter alterum hac quoque in re afficit:

Plat. Phaedr. p. 254 A: *ὁ δὲ* (sc. *κακὸς ἵππος*) *οὔτε κέντρων ἡνιοχικῶν οὔτε μάστιγος ἔτι ἐντρέπεται, σκιρτῶν δὲ βίᾳ φέρεται, καὶ πάντα πράγματα παρέχων τῷ συζυγί τε καὶ ἡνιόχῳ ἀναγκάζει ἰέναι τε πρὸς τὰ παιδικὰ καὶ μνείαν ποιεῖσθαι τῆς τῶν ἀφροδισίων χάριτος.*

Plato hoc loco non dicit *ἀφροδισίων ἡδονῆς*, ut multis aliis locis; nam hic non id agitur, ut amato voluptas veneria quanta sit proponatur, sed ut amatus admoneatur quantam laetitiam et gratiam hac re amatori paraturus sit.

Hi quoque loci huc referendi sunt:

Eur. Ion. 1104. Chorus Xuthum vituperat, quod e Creusa quidem liberos non procreaverit,

πρὸς δ' Ἀφροδίταν
ἄλλαν θέμενος χάριν
νόθου παιδὸς ἔκυρσεν.

Aesch. Ag. 1206. Cassandra de Apolline loquitur, qui eam amaverat:

ἀλλ' ἦν παλαιστὴς κάρτ' ἐμοὶ πνέων χάριν.

Eur. Iph. Aul. 549: . . . *ὅθι δὴ*
δίδυμ' Ἔρως ὁ χρυσοκόμας
τόξ' ἐντείνεται χαρίτων,
τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ,
τὸ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς. . . .
εἴη δέ μοι μετρία μὲν
χάρις, πόθοι δ' ὅσιοι,
καὶ μετέχοιμι τᾶς Ἀφροδί-
τας, πολλὰν δ' ἀποθείμαν.

τόξα χαρίτων non sunt arcus Gratiarum (*Χαρίτων*), nam Gratiae arcus non tractant; sed pluralis ea de causa positus est, quod Amoris duo arcus (*δίδυμα τόξα*) non idem genus *χάριτος* habent sed duo *χαρίτων* genera; alter arcus qui habet modicam *χάριν* (cf. v. 554 *μετρία χάρις*) est *ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ* (v. 550), alter qui *χάριν* habet immodicam atque impotentem *ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς* (v. 551). Hanc *χάριν* Helena, cuius brevi ante mentio erat facta, habuerat, nimium *ἐχαρίσατο* Paridi; chorus sibi exoptat *μετρίαν χάριν* et *πόθους ὁσίους* (v. 554),

Haec *χάρις* quae in re amatoria est a scriptoribus posterioribus nimium coartatur et pro veneria coniunctione intelligitur:

Plutarch. Moral. p. 751 D (Amat. cap. 5): *χάρις γὰρ οὖν, ὦ Πρωτόγενες, ἡ τοῦ θήλεος ὕπειξις τῷ ἄρρενι κέκληται πρὸς τῶν παλαιῶν· ὡς καὶ Πίνδαρος ἔφη τὸν Ἥφαιστον „ἄνευ*

Χαρίτων" ἐκ τῆς Ἥρας γενέσθαι· καὶ τὴν οὔπω γάμων ἔχουσαν ὥραν ἡ Σαπφὼ προσαγορεύουσά φησιν, ὅτι

σμίκρα μοι πάϊς ἔμμεν ἐφαίνεο κἄχαρις·

ὁ δ' Ἡρακλῆς ὑπό τινος ἐρωτᾶται·

βίᾳ δ' ἔπραξας χάριτας ἢ πείσας κόρην;

Locus Pindaricus qui citatus videtur esse est P. 2, 42[1]):

ἄνευ οἱ (Ixioni) *Χαρίτων τέκεν* (Iunonis imago)
γόνον ὑπερφίαλον
μόνα καὶ μόνον οὔτ' ἐν ἀνδράσι γερασφόρον οὔτ'
ἐν θεῶν νόμοις.

cf. falsam scholiastae explicationem (schol. 75[2])): *τὸ δὲ ἄνευ Χαρίτων ἀντὶ τοῦ ἔξω συνουσίας. χαρίζεσθαι γὰρ κυρίως τὸ συνουσιάζειν λέγεται.*

Re vera *χάρις* et *χαρίζεσθαι* in re amatoria vim adeo coartatam non habebant.

Saepe accusativus vocabuli *χάρις* appositionis loco ad alium accusativum accedit:

Aesch. Choeph. 180: *ἔπεμψε χαίτην κουρίμην χάριν πατρός.*

Pind. O. 7, 5: *φιάλαν ὡς ... τὶς ... δωρήσεται*
νεανίᾳ γαμβρῷ προπίνων οἴκοθεν οἴκαδε, πάγχρυσον, κορυφὰν κτεάνων
συμποσίῳ τε χάριν.

pateram donat quae convivio *χάρις* est, i. e. res qua convivae laetantur.

Anacr. fr. 103 accusativi *χάριν* et *κόσμον* coniuncti appositionis loco usurpantur:

---

1) Quamquam h. l. non Vulcanus sed Centaurus *ἄνευ Χαρίτων* procreatus esse narratur, tamen verisimile non est Pindarum similem rem eisdem fere verbis alio quoque in carmine nobis non servato de Vulcano narravisse; sed erravisse videtur Plutarchus, quia de Vulcano quoque similia commemorabantur ab aliis; cf. Hes. Theog. 927; Apollod. I, 3, 5.

2) In scholiis Pindaricis citandis cum scholiorum editoribus antiquum numerum versuum sequor.

σάν τε χάριν, Διόνυσε, καὶ ἀγλαὸν ἄστεϊ κόσμον
Θεσσαλίας μ' ἀνέθηκ' ἀρχὸς Ἐχεκρατίδας.

Saepius ad totam sententiam apponitur (cf. Latinum „gratia“):

Eur. Iph. Aul. 84: *κἀμὲ στρατηγεῖν δῆτα Μενέλεω χάριν εἵλοντο, σύγγονόν γε.*

Eur. Iph. Taur. 1444: *ἤδη Ποσειδῶν χάριν ἐμὴν ἀκύμονα πόντου τίθησι νῶτα.*

Plat. Hipp. mai. p. 291 B: *ἐμὲ οὖν προδίδασκε καὶ ἐμὴν χάριν ἀποκρίνου.*

Hic accusativus cum crebro ita usurparetur inflexa atque, ut ita dicam, rigida forma factus est; cf. *πρόφασιν, τρόπον.*

Eur. Suppl. 125: *σύμβουλον οὖν μ' ἐπῆλθες; ἢ τίνος χάριν;*

Ar. Ach. 1232: *ΔΙΚ: ἕπεσθέ νυν ᾄδοντες ὦ τήνελλα καλλίνικος.*
ΧΟ: ἀλλ' ἑψόμεσθα σὴν χάριν
τήνελλα καλλίνικον ᾄδοντες.

Tamen laetificandi notio plena vi sentitur ab iis quidem quos hoc opusculo respicio scriptoribus, etsi omnibus locis (ut in locutionibus *τούτου χάριν, ὧν χάριν)* id demonstrari non potest.

Rarius haec appositio invenitur apud poetas vetustiores:

Apud Homerum uno loco:

Il. 15, 744: *ὅς τις δὲ Τρώων κοίλῃς ἐπὶ νηυσὶ φέροιτο*
σὺν πυρὶ κηλείῳ, χάριν Ἕκτορος ὀτρύναντος,
τὸν δ' Αἴας οὔτασκε,

ubi eodem sensu apponitur atque in locutione *χάριν φέρειν,* ut

Il. 5, 211: *ὅτε Ἴλιον εἰς ἐρατεινὴν*
ἡγεόμην Τρώεσσι, φέρων χάριν Ἕκτορι δίῳ.

Apud Pindarum quinque locis *χάριν* absolute apponitur. Quantum absit, ut haec forma iam apud eum rigida, ut ita dicam, facta sit et cum certo coniungatur casu, ex ea re cognoscitur, quod P. 11, 12 et O. 7, 5 ille accusativus non cum genetivo, ut postea (nisi pronomen adicitur vel adiectivum), sed cum dativo coniungitur:

P. 11, 12: ὄφρα Θέμιν ἱερὰν Πυθῶνά τε καὶ ὀρθοδίκαν
Γᾶς ὀμφαλὸν κελαδήσετ' ἄκρᾳ σὺν ἑσπέρᾳ
ἑπταπύλοισι Θήβαις
χάριν ἀγῶνί τε Κίρρας.
O. 7, 5 cf. pag. 41.

Cum genetivo coniungitur:
N. 1, 6: σέθεν ἁδυεπὴς
ὕμνος ὁρμᾶται θέμεν
αἶνον ἀελλοπόδων μέγαν ἵππων, Ζηνὸς Αἰτναίου χάριν.

Neque genetivo neque dativo apposito absolute dicitur:
O. 10, 78: ἀρχαῖς δὲ προτέραις ἑπόμενοι καί νυν ἐπωνυμίαν
χάριν
νίκας ἀγερώχου κελαδησόμεθα βροντὰν
καὶ πυρπάλαμον βέλος
ὀρσικτύπου Διός.

χάριν ἐπωνυμίαν non pendet a verbo κελαδησόμεθα, quod accusativos βροντάν et βέλος sibi adiungit, sed est appositio, — non tamen apposita ad βροντάν et βέλος sed ad totam sententiam κελαδησόμεθα. — χάριν explicandum est ὥστε εἶναι χάριν (victori scilicet; non dicitur). χάρις haec est victoriae laetificans celebratio quae carmine fit; quae celebratio ἐπωνυμία νίκης ἀγερώχου nominatur, quod ab ea quae celebratur victoria nomen Olympicae victorialis celebrationis et carminis accepit. — Laetificandi notio plena vi sentitur.

Pronomen apponitur
paean. 9, 37 [1]): ἐκράνθην .... ἀγανὸν καλάμῳ συνάγεν θρόον
μήδεσί τε φρενὸς ὑμετέραν χάριν.

„ad artis summam perfectionem redactus sum (ἐκράνθην simili constructione atque ἔφυν), ut nobilem cantum componerem (συνάγεν infinitivus) cum tibia et cum mentis cogitationibus (i. e. carminibus, cf. schol. τοῖς ποιήμασι), id quod vobis sit res laetificatrix". χάριν ad totam sententiam συνάγεν appositum est; laetificandi notio plena vi sentitur.

---

1) Oxyr. pap. V. pag. 75.

Usitatissima est haec appositio *χάριν* apud poetas tragicos, Aristophanem, Platonem. Tamen ne apud eos quidem principalis vis vocabuli evanuit, ut exempla in antecedentibus paginis allata ostenderunt:

Accedit quod apud hos scriptores illud *χάριν* cum vocabulis nonnunquam eiusdem radicis coniungitur:

Eur. Iph. Taur. 566: *κακῆς γυναικὸς χάριν ἄχαριν ἀπώλετο.*

Plat. de leg. IX p. 853 D. Plato de iis loquitur delictis quae neminem nisi pervicacissimum hominem, quem ea de causa ut hominem aegrotum (cf. p. 853 D: *νοσῆσαί ποτε ἂν ταύτην τὴν νόσον)* curari vult, commissurum esse putat. Itaque talis homo severa lege coercendus est, quae quamquam ei non est grata (i. e. laetitiam non parat) tamen re vera eius gratia constituta est: *ὧν δὴ χάριν οὐκ ἐπίχαριν λέγοιμ' ἂν πρῶτον νόμον ἱερῶν περὶ συλήσεως, ἄν τις τοῦτο δρᾶν τολμᾷ.*

cf. de re publ. III p. 394 A *(κεχαρισμένον — χάριν),* pag. 15.

Praeterea accedit quod inveniuntur loci, imprimis apud Platonem, ubi illud *χάριν* opponitur vocabulo *ἕνεκα. ἕνεκα* vel *ἕνεκεν* ex *ἐν-ϝεκεν* ortum est; voluntatis notio ei inest, nam illud *ϝεκεν* eiusdem radicis est atque vocabula *ἕκητι* et *ἑκών.* — *ἕνεκα* igitur voluntatem respicit („um willen"), *χάριν* sensum („zur Freude"). Etsi haec in usu saepe non multo differunt, praesertim iis locis ubi cum pronominibus neutrius generis parum definitis, ut *ὅ, ταῦτα* etc., coniunguntur, tamen inveniuntur loci quibus esse aliquam differentiam ex horum vocabulorum origine deductam apparet:

Plat. Gorg. p. 505 C. Callicles Socrati dicit: *οὐδέ γέ μοι μέλει οὐδὲν ὧν σὺ λέγεις καὶ ταῦτά σοι Γοργίου χάριν ἀπεκρινάμην,* Gorgias ipse paulo ante (p. 497 B) Callicli dixerat: *ἀποκρίνου καὶ ἡμῶν ἕνεκα, ἵνα περανθῶσιν οἱ λόγοι,* quae verba hoc loco respicit Callicles. — Quae sit differentia apertum est: Gorgias, cuius interest hanc disputationem ad finem perduci, haec fere Callicli, qui sibi tamquam discipulus sit, imperat: „responde Socrati, nam ego quoque huius disputationis finem fieri cupio atque volo", Callicles autem

Socratem despiciens haec dicit: „mea quidem hoc nihil interest, sed tibi respondi, quod Gorgiae laetitiam parare (cf. *χαρίζεσθαι)* cupio.“

Plat. Tim. p. 23 D: *φθόνος οὐδείς, ὦ Σόλων, ἀλλὰ σοῦ τε ἕνεκα ἐρῶ καὶ τῆς πόλεως ὑμῶν, μάλιστα δὲ τῆς θεοῦ χάριν, ἣ τήν τε ὑμετέραν καὶ τήνδε ἔλαχεν καὶ ἔθρεψεν καὶ ἐπαίδευσεν.* — Sacerdos Aegyptius Soloni dicit: „Hanc rem tibi narrabo, quod tu (et per te urbs tua) id vis atque cupis, praecipue autem quod dea nostra et vestra Neith sive Minerva hac re laetificatur.“

Apud Callimachum semel invenitur appositio *χάριν*: h. V, 120. Minerva de Tiresia oculis privato cum matre eius loquitur:

ὦ ἑτάρα, τῷ μή τι μινύρεο· τῷδε γὰρ ἄλλα
τεῦ χάριν ἐξ ἐμέθεν πολλὰ μενεῦντι γέρα.

Plena significationis vis sentitur.

Apud Theocritum illud *χάριν* appositionis loco usurpatum non invenitur.

II.

Etsi in universum in vocabulo *χάρις* usurpando scriptores non multum inter se differunt [1]), tamen apud alium alius huius vocabuli usus praevalet neque natura dearum quae *Χάριτες* appellantur apud omnes eadem est. Qua de causa haec numina priore parte non respexi; ceterum deae *Χάριτες* et substantivum *χάρις* non secernenda sunt, nam quae res

1) Exempli causa eam vocabuli *χάρις* significationem ex qua in priore capite orsus sum, factum laetificans et remunerationem laetificantem, apud omnes scriptores inveniri commemoro; talia igitur in hac parte non repetam.

homini Graeco *χάρις*, i. e. res laetificatrix, erat, ei divinam vim, cuius effectrices deas accepit *Χάριτας*, inesse intellexit; nonnullis locis dubitari potest, utrum certa quaedam dearum imago fingatur. Itaque Gratiarum[1]) apud singulos poetas naturam eandem fere esse quam vocabuli *χάρις* apud eosdem vim exspectandum est, nisi quod huius substantivi notio tam certa ac circumscripta quam Gratiarum notio esse non debet, quae, cum certa imago certaque morum natura cum personis coniungatur, apud eundem poetam nimis varia esse non potest. Neque eam apud alium poetam aliam esse mirum est, siquidem quid nomen dearum significet consideramus. Homines cum deas *Χάριτας*, deas laetificatrices, colerent earum rerum quae ipsos laetitia afficiebant effectrices eas esse existimabant; variae autem res homines laetos reddere possunt.

Orchomeni, in regione fertilissima cuius incolae in agricultura versabantur, *Χάριτες* ea colebantur numina quae praecipue fruges donando agricolas laetos reddiderunt; fertilitatis igitur ibi deae sunt, quam ob rem saepe spicas in manibus ferentes pinguntur. De hac earum natura optime disseruit Jahn in opusculo quod inscribitur „Die Entführung der Europa auf antiken Kunstwerken" (Denkschr. d. Wien. Akad., tom. XIX. pag. 32 sqq.).

Frugum quas largiuntur *(χαρίζονται)* pars iis ab agricolis sacrificatur: schol. B ad Il. 9, 381: *πολὺ δὲ τούτῳ* (sc. *Ὀρχομενῷ) παράκειται πεδίον, εἰ πιστός ἐστιν Ἔφορος, πλῆρες πολλῶν ἀγαθῶν, ὧν ταῖς ἐκεῖσε τιμωμέναις Χάρισι πέμπουσιν οἱ περίοικοι.*

Haec earum natura Orchomeni genuina videtur fuisse, sed num posteris temporibus eadem manserit nescimus; in Pindari certe O. 14 natura earum adeo coartata non est

1) Liceat mihi hoc nomine Latino uti, etsi *Χαρίτων* Graecarum natura latius patet quam Gratiarum Romanarum.

atque singulis eas nominibus appellat Pindarus, id quod Orchomeni factum non esse Pausanias IX, 35, 1 testatur: *καὶ ὅτι μὲν τρεῖς εἶναι Χάριτας κατεστήσατο* (sc. *Ἐτεοκλῆς*) *ἴσασιν, ὀνόματα δὲ οἷα ἔθετο αὐταῖς οὐ μνημονεύουσιν.* Nomina iis attribuit Pindarus ea quae in Hesiodi Theogonia[1]) iis imposita erant (v. 907):

τρεῖς δέ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρῄους ...
Ἀγλαΐην τε καὶ Εὐφροσύνην Θαλίην τ' ἐρατεινήν.

In Elide similem atque Orchomeni naturam videntur habuisse. Nam Plutarchus „Aetiis Graecis" mulieres Eleas Bacchum hoc carmine invocavisse narrat (cap. 36):

ἐλθεῖν, ἥρω Διόνυσε,
Ἀλείων ἐς ναὸν
ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσιν,
ἐς ναὸν
τῷ βοέῳ ποδὶ θύων.
ἄξιε ταῦρε, ἄξιε ταῦρε. (Bergk P. l. G., carm. pop. 6).

Bacchum autem hoc loco deum fertilitatis esse verisimillimum est, atque ab ipso Plutarcho ad verba *βοέῳ ποδί* explananda inter alias explicationes haec affertur: *ὅτι καὶ ἀρότου καὶ σπόρου πολλοὶ τὸν θεὸν ἀρχηγὸν γεγονέναι νομίζουσιν.* Hunc deum *Χάριτες* comitantur, i. e. fertilitas quae per Bacchum efficitur hominum laetitiam secum fert.[2])

In Pind. fr. 95 *Πάν* deus *Ματρὸς Μεγάλας ὀπαδέ, σεμνᾶν Χαρίτων μέλημα τερνόν* appellatur. Itaque hoc quoque loco Gratiae cum numinibus quae naturam curant coniunguntur.

Similem naturam antiquis temporibus Athenis videntur habuisse, ubi in sacramento adulescentium stipendia facturorum *Αὐξώ* et *Ἡγεμόνη*, quas esse Gratias Atticas Pausanias tradit[3]), invocantur, ut Pollux VIII, 106 testatur:

1) cf. Usener, Götternamen p. 133.

2) cf. Il. 14, 325: *ἡ δὲ Διώνυσον Σεμέλη τέκε, χάρμα βροτοῖσιν.*

3) IX, 35, 2: *τιμῶσι γὰρ ἐκ παλαιοῦ καὶ Ἀθηναῖοι Χάριτας Αὐξὼ καὶ Ἡγεμόνην.*

ἵστορες θεοί· Ἄγλαυρος[1]*, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεύς, Θαλλώ, Αὐξώ, Ἡγεμόνη*. — Cum fertilitatis terrestris numina sint, ab iis qui terram patriae defensuri sunt eas iuramenti testes invocari facile est intellectu; cf. Eur. Heraclid. v. 779 sqq., ubi *Γῆ Μήτηρ* invocatur ad terram suam defendendam.

Huc referenda videtur esse precatio sollemnis qua Athenis Thesmophoriorum die festo praeco inter alia numina Gratias invocabat; tradita est ab Aristophane (Thesm. 300): *Εὐφημία 'στω, εὐφημία 'στω. εὔχεσθε ταῖν Θεσμοφόροιν, τῇ Δήμητρι καὶ τῇ Κόρῃ, καὶ τῷ Πλούτῳ, καὶ τῇ Καλλιγενείᾳ, καὶ τῇ Κουροτρόφῳ, τῇ Γῇ, καὶ τῷ Ἑρμῇ*[2]*, καὶ Χάρισιν, ἐκκλησίαν τήνδε καὶ σύνοδον τὴν νῦν κάλλιστα καὶ ἄριστα ποιῆσαι* ... — Apparet invocari numina quae ut urbs omnibus copiis floreat curant; Gratiae quod praecipue fruges donando cives laetos reddunt invocatae videntur esse.

In hanc earum naturam nomen quoque *Αὐξώ* quadrat, quod alteri Gratiarum Atticarum fuisse Pausanias refert[3], atque si Robertum sequimur qui in opusculo quod inscripsit „De Gratiis Atticis“ Commentationibus Mommsenianis inserto tres esse Gratias Atticas *Θαλλώ, Καρπώ, Αὐξώ* ostendere conatus est[4], haec nomina ad deas quae fructibus praesunt optime quadrarent.

---

1) *Ἄγλαυρος* inscriptiones, *Ἄγραυλος* Pollux.

2) cf. pag. 36 adn.

3) cf. pag. 47 adn. 3.

4) Ad ea quae Usener (Götternamen p. 131 adn. 24) certis argumentis non allatis generaliter opposuerat Robert in progr. Winckelm. Hall. XXI (p. 22) respondit. Etsi nihil est cur duas aliquando Gratias Athenis cultas esse negare cogamur, tamen ea quae Robert attulit aliquid probabilitatis habent. Ad rem plane diiudicandam neque Pausaniae auctoritas neque Roberti argumentationes sufficere mihi videntur, quamquam ad Pausaniae in hac re auctoritatem attenuandam quae allata sunt mihi quidem verisimillima sunt. Sed tam certa, ut aliis quoque locis Gratias e Roberti nominibus Gratiarum Atticarum interpreter, argumenta eius mihi non videntur esse, praesertim cum saepissime diiudicari non possit, utrum de Gratiis Atticis an Hesiodeis agatur.

Sed haec singularum Gratiarum nomina posteris, ut apud Horas quoque et alias deas factum est, temporibus orta sunt, cum antiquissimis temporibus non essent *Αὐξώ* et *Ἡγεμόνη* vel, ut Robert vult, *Θαλλώ, Καρπώ, Αὐξώ* neque alia nomina, ut Spartae *Κλήτα* et *Φαέννα,* sed *Χάριτες* certo numero certisque singulis nominibus carentes. Deae laetificantes erant; hoc nomen etiam ibi servabant ubi principalis haec natura earum non iam aperta erat, cum unius praecipue rei laetificantis, fertilitatis, deae colerentur.

Apud Homerum quoque Gratiae certo numero certisque singulis nominibus carent. Sed alia est natura earum. Cum hactenus praecipue munera Gratiarum quibus homines laetos reddunt respecta esse invenerimus, apud Homerum dearum ipsarum personae magis respiciuntur. Deas quae laetitia deos et homines afficiunt pulchra et venusta praeditas esse forma consentaneum est. Accedit quod vocabula *χάρις* et *χαρίεις* apud Homerum longe plurimis locis virtutes hominum laetificantes, sive animi sive corporis, amabilitatem scilicet et venustatem [1]), significant, non singula hominum facta. Itaque Homerum plura de ipsarum Gratiarum venustate loqui quam de factis earum mirum non est. Ii homines inter quos Homeri carmina orta sunt non necessitate coacti in victu quaerendo toto versabantur animo, numina Homeri nobilium hominum numina sunt. Gratiae apud eum deae sunt quae et sua venustate atque amabilitate laetificant et hominibus quoque venustatem praestant:

Od. 6, 18: . . . *κούρη*

κοιμᾶτ' ἀθανάτῃσι φυὴν καὶ εἶδος ὁμοίη,

Ναυσικάα . . .

πὰρ δὲ δύ' ἀμφίπολοι, Χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσαι,

---

1) cf. pag. 19—21 et exempla Homerica ibi allata.

Pulchri crines cum Gratiarum crinibus comparantur:
Il. 17, 51: *αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι.*

Itaque Gratiae cum Venere imprimis coniunguntur; nam Venus quoque venustate potentiam illam apud homines adipiscitur.

Od. 8, 364 eam exornant:

ἡ δ' ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη,
ἐς Πάφον· ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός τε θυήεις.
ἔνθα δέ μιν Χάριτες λοῦσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ
ἀμβρότῳ, οἷα θεοὺς ἐπήνοθεν αἰὲν ἐόντας,
ἀμφὶ δὲ εἵματα ἕσσαν ἐπήρατα, θαῦμα ἰδέσθαι.

Od. 18, 194 cum ea saltantes inducuntur:

κάλλεϊ μέν οἱ (sc. Penelopae) *πρῶτα προσώπατα καλὰ κάθηρεν*
ἀμβροσίῳ, οἵῳ περ ἐυστέφανος Κυθέρεια
χρίεται, εὖτ' ἂν ἴῃ Χαρίτων χορὸν ἱμερόεντα.

Nam cum saltatione optime aperiretur venustas, artifices plerumque saltantes finxerunt Gratias; accedit quod saltatione laetitia significatur [1]).

Unam e Gratiis iunioribus Iuno Somno coniugem se daturam esse pollicetur:

Il. 14, 267: *ἀλλ' ἴθ', ἐγὼ δέ κέ τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων*
δώσω ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν.

Quae Gratia Somno donatur, ut omnibus iis rebus quibus ille laetatur laetitiam ei paret (cf. *χαρίζεσθαι*), i. e. sua imprimis ipsius venusta forma [2]).

---

1) cf. Pind. O. 14, 12: *Ἀγλαΐα φιλησίμολπε, Θαλία ἐρασίμολπε.* Eur. Phoen. 788 *Χάριτες χοροποιοί.*

2) cf. Wilamowitz „Hephaistos" (Nachr. d. Ges. d. Wiss. zu Göttingen. 1895) pag. 217: . . . es sind (sc. diese Chariten) nur himmlische Trägerinnen der weiblichen „Reize". — Aliter hunc locum intellexit Porphyrius „Quaestionibus Homericis" pag. 195 (ed. Schrader); cur hae Gratiae *ὁπλότεραι* nominentur haec dicit explicaturus: *Χάριν δὲ αἰτεῖται οὐ προκαταρκτικὴν ἀλλ' ἀμειπτικήν· ἀνθ' ὧν γὰρ εὖ ποιεῖ ἀξιοῖ λαβεῖν τὴν ἀμοιβήν, οὐκ ἐξ ὧν αὐτὸς προκατήρχθη. αἱ μὲν οὖν προ-*

Non solum corporis humani sed etiam rerum, imprimis artificiorum, venustas χάρις est, id quod multa ostendunt exempla Homerica, e quibus unum pag. 21 attuli; accedat hoc:

Od. 6, 234: ὡς δ' ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ
ἴδρις, ὃν Ἥφαιστος δέδαεν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη
τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείει,
ὣς ἄρα τῷ κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις.[1]
ἕζετ' ἔπειτ' ἀπάνευθε κιὼν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης
κάλλει καὶ χάρισι στίλβων,

ubi videmus hanc rerum et corporis venustatem artissime inter se cohaerere.

Itaque praeter Vulcanum et Minervam Gratiae quoque talia perficiunt opera:

Il. 5, 338: εἶθαρ δὲ δόρυ χροὸς ἀντετόρησεν
ἀμβροσίου διὰ πέπλου, ὅν οἱ Χάριτες κάμον αὐταί.

Vulcano, artificioso deo, Homerus in Iliade coniugem dedit *Χάριν*:

Il. 18, 382: τὴν δ' ἴδε προμολοῦσα Χάρις λιπαροκρήδεμνος
καλή, τὴν ὤπυιε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις.

Wilamowitz hanc quoque *Χάριν* eodem modo intellexit atque illam *Χάριν* Somno donatam; tamen aliqua inter hos locos intercedit differentia: haec *Χάρις* Vulcano non donatur, ut illa Somno, oblectamenti loco, sed eius uxor est, cum bonus artifex non sine venustate sit; cf. Apellis iudicium, pag. 26.

In omnibus his exemplis Gratiae deae laetitiae pulchritudine effectae, i. e. venustatis, sunt ipsaeque venustae esse finguntur.

κατάρχουσαι Χάριτες εἶεν ἂν πρεσβύτεραι, αἱ δὲ ἀμειπτικαὶ ἔτι νεώτεραι· μεταγενέστερον γάρ, καὶ διὰ τοῦτο νεώτερον, τὸ δεύτερον τοῦ προτέρου. διόπερ τῶν ὁπλοτέρων φησὶν αἰτεῖσθαι μίαν Χαρίτων. — Sed tam ineptam rei et personae confusionem et allegoricam interpretationem in Homerum nulla cogente causa inferre equidem non ausus sim.

1) cf. ἐπίχαρις (pag. 29 adnot 2.).

Cum apud Gratias Homericas haec pars notionis χάρις praevaleat atque id magis narretur quales hae deae ipsae sint quam quid curent rerum humanarum, apud alias Graecorum gentes magis pertinent ad vitam humanam. Neque tamen omnibus temporibus omnibusque locis cum terra tantum frugibusque apud has gentes coniunctae sunt; nam ubi primas illas res ad vitam degendam maxime necessarias curaverunt homines ad vitam exornandam se vertunt aliaeque res laetitia eos afficiunt: Gratiae vitae humanae ornatrices fiunt. Huius naturae testes nomina quoque Gratiarum sunt Hesiodea a Pindaro (O. 14) recepta: *Ἀγλαΐα, Εὐφροσύνη, Θαλία.* Recte haec nomina C. O. Müller interpretatus est in libro qui inscribitur „Orchomenos und die Minyer" (p. 179): „Sie bezeichnen . . . den festlichen Glanz, die feierliche Freude und die blühende Lust des Mahls", nisi quod Thaliam in universum significare dixerim „die blühende Lust". Usener (Götternamen p. 134/135) nomina *Ἀγλαΐας* et *Θαλίας* e natura illa pristina dearum fertilitatis inventa esse dicit, cum *Θαλία* sit dea frugum enascentium, *Ἀγλαΐα* „clara" vel „lucida", ex qua agricolae serenum olim caelum et solem petiverint. Pindarus certe haec nomina non ita sed Mülleri ratione intellexit. Nam apud Pindarum, qui, cum reliqui poetae lyrici singula Gratiarum nomina non adhibeant, summus nobis testis est huius Gratiarum naturae, illorum vocabulorum exempla et explicationes hae inveniuntur:

P. 1, 2: *τᾶς* (sc. *λύρας*) *ἀκούει μὲν βάσις ἀγλαΐας ἀρχά,* cum schol. (4): *ἤτοι ἀγλαΐαν τὴν κατὰ τὰς πανηγύρεις, καθ' ἣν πάντες γανύμενοι τερπόμεθα, ἢ τὴν διάχυσιν καὶ εὐφροσύνην.*

P. 1, 38: *καὶ σὺν εὐφώνοις θαλίαις ὀνομαστάν* (sc. *Αἴτναν*), cum schol. (69): *καὶ σὺν θαλίαις καὶ κώμοις ἥδεσιν ὀνομαστήν.*

Itaque non e prisca quadam notione quae radicibus vocabulorum inest horum nominum significationes interpretandae sunt, sed quae notiones apud eos homines ipsos

quibus hanc naturam dearum vitam exornantium Gratiae habebant, cum his coniungebantur vocabulis respiciendae sunt. Accedit quod Gratiis illis fertilitatis deabus haec nomina imposita esse non comperimus, quamquam Pausanias harum Gratiarum complura nomina, quae in aliis regionibus aliae erant, servavit. Praeterea Aglaia et Thalia si cum fertilitate coniunguntur ab Euphrosyne, cui haec notio non inest, secernuntur. Itaque haec nomina Gratiis attributa sunt ab iis apud quos deae naturam vitam exornantium acceperunt.

Primo eam consideremus Gratiarum naturam quae apud Pindarum propter ipsam naturam carminum atque eorum hominum quibus haec carmina facta sunt praevalet. Nobiles illos plerumque Doricenses regioque non raro genere ortos certamina iuvabant et victoriarum his certaminibus partarum gloria et celebratio. Eodem nomine *Χαρίτων* tales viri deas laetitiae effectrices appellabant, sed cum laetitia ipsa alia esset, numinum quoque natura alia facta est. Sed — ne falso haec intelligantur — non diversae deae sunt, sed alia quaedam pars notionis superat nomine earum comprehensae. Nam aliae quoque notiones cum Gratiis Pindaricis coniunguntur, ut supra (p. 47) frg. 95 commemoravi; et poeta cum a Gratiis Orchomeni cultis carmen (O. 14) inciperet, naturam earum mutare non potuit sed, ut ita dicam, dilatavit, et inseruit quae a genuina Gratiarum Orchomeniarum natura primitus aliena erant, nominaque iis attribuit Hesiodea. In hoc Pindari carmine [1]) Gratiae celebrantur duas ob causas: victoris patria, Orchomenus, Gratiarum urbs est, et Gratiae apud Pindarum saepe victoriarum laetificantium deae sunt [2]);

---

1) Incipit: *Καφισίων ὑδάτων λαχοῖσαι ταί τε ναίετε καλλίπωλον ἕδραν*
ὦ λιπαρᾶς ἀοίδιμοι βασίλειαι
Χάριτες Ἐρχομενοῦ, παλαιγόνων Μινυᾶν ἐπίσκοποι,
κλῦτ', ἐπεὶ εὔχομαι.

2) qua de re infra.

quam rem iam scholiasta bene observavit: *ἐπειδὴ χαριέντως* (i. e. ita ut laetitiam paret, quae laetitia Gratiarum opus est) *ἀπέβη τοῦ ἀγῶνος τὸ ἐπιχείρημα, προσφωνεῖ ταῖς Χάρισι τιμωμέναις κατὰ τὸν Βοιωτικὸν Ὀρχομενόν.*

Quae autem Pindaro earum natura sit insequentibus versibus poeta dicit:

σὺν γὰρ ὔμμιν τὰ τερπνὰ καὶ
τὰ γλυκέ' ἄνεται πάντα βροτοῖς,
εἰ σοφός, εἰ καλός, εἴ τις ἀγλαὸς ἀνήρ.

Omnia quae hominibus dulcia sunt Gratiarum opera conficiuntur et consummantur; cf. ea quae de *χάριτος* aestimatione dixi pag. 26 sqq. Pulchritudinis auctores Gratiae non sunt, sed cum hominibus vel rebus iam antea pulchris addunt vim laetificantem laetificantes deae pulchritudinem eorum perfectam reddunt. Neque sapientiae neque victoriarum gloriae[1]) auctores sunt, sed sapientia et victoriarum gloria nisi homines laetitia afficiunt consummatae Pindaro non videntur esse. Eadem ratione omnibus in rebus quae eos quibuscum Pindarus consentit homines laetitia afficiunt Gratiae celebrantur, non quo omnium harum rerum effectrices sint, sed quia summam his rebus dignitatem attribuunt hac ipsa re quod iis vim addunt laetificantem.

Cum ea Pindari carmina quae nobis servata sunt ad victorias pertineant certaminum celebrandas, mirandum non est, quod praecipue in his rebus versantur Gratiae Pindaricae. Neque tamen victoriae deae sunt — nam victoriae dea *Νίκη* est —, sed laetificantem vim victoriarum curant, sine qua victoriae perfectae non esse existimantur.

---

1) *ἀγλαός,* quod vocabulum cum substantivo *αἴγλη* cohaeret, „qui nitet“, praecipue qui victoriarum gloria nitet atque clarus est. Scholiasta interpretatur *ἀγλαός· ἀνδρεῖος νῦν,* quae explicatio vocabuli originem parum respicit.

Gratiae coronam victori afferunt:

O. 2, 50: *Ὀλυμπίᾳ μὲν γὰρ αὐτὸς* (Thero)
γέρας ἔδεκτο, Πυθῶνι δ' ὁμόκλαρον ἐς ἀδελφεὸν
Ἰσθμοῖ τε κοιναὶ Χάριτες ἄνθεα τεθρίππων δυωκαιδεκαδρόμων
ἄγαγον,

ubi schol. (89 c) non satis accurate: *αἱ Χάριτες τῆς νίκης τῆς ἐν τῷ τεθρίππῳ.* — Aliis quoque locis scholia Pindarica speciem tantum respiciunt et *Χάριτας τῆς νίκης* vel *μουσικὰς Χάριτας* sibi fingunt.

Imprimis carmina curant quae in honorem victoris cantata laetificant victorem:

O. 7, 11: *ἄλλοτε δ' ἄλλον ἐποπτεύει Χάρις ζωθάλμιος ἁδυμελεῖ*
θαμὰ μὲν φόρμιγγι παμφώνοισί τ' ἐν ἔντεσιν αὐλῶν,

ubi antea dixerat se *ἀθλοφόροις ἀνδράσιν Οὐλυμπίᾳ Πυθοῖ τε νικώντεσσιν* carmen mittere.

P. 5, 45: *Ἀλεξιβιάδα, σὲ δ' ἠΰκομοι φλέγοντι Χάριτες,*
μακάριος, ὃς ἔχεις
καὶ πεδὰ μέγαν κάματον
λόγων φερτάτων μνημεῖα.

I. 8, 16: *χρὴ δ' ἐν ἑπταπύλοισι Θήβαις τραφέντα*
Αἰγίνᾳ Χαρίτων ἄωτον προνέμειν.

N. 9, 54: *Ζεῦ πάτερ*
εὔχομαι ταύταν ἀρετὰν κελαδῆσαι σὺν Χαρίτεσσιν, ὑπὲρ πολλῶν τε τιμαλφεῖν λόγοις
νίκαν, ἀκοντίζων σκοποῦ ἄγχιστα Μοισᾶν.

Carminum deae Musae sunt, non Gratiae; sed hoc loco ubi id agit Pindarus, ut victorem carmine laetificet, orat, ut cum Gratiis canat.

Neque modo victores carminibus quibus celebrantur, sed omnino homines delectantur carminibus; itaque carmina quatenus laetos in conviviis et festis diebus convivas reddunt Gratiarum munera sunt:

P. 4, 89: *Χαρίτων κελαδεννᾶν*
μή με λίποι καθαρὸν φέγγος.

N. 4, 7: *ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιώτερον βιοτεύει,*
ὅ τι κε σὺν Χαρίτων τύχᾳ
γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας.

cf. schol. (10): *ἐάν γε χωρὶς Χαρίτων γράφηται ὁ λόγος, ἀπόλωλε* (ex antecedente sententia intell. *τὰ λεγόμενα) καὶ ἔσβεσται, ἐὰν δὲ μετὰ Χαρίτων, μένει πρὸς αἰῶνα εὔδια.*[1])

I. 5, 21: *τὸ δ' ἐμὸν*
οὐκ ἄτερ Αἰακιδᾶν κέαρ ὕμνων γεύεται·
σὺν Χάρισιν δ' ἔμολον Λάμπωνος υἱοῖς
τάνδ' ἐς εὔνομον πόλιν.

cf. paean. 6, 3[2]): *πρὸς Ὀλυμπίου Διός σε, χρυσέα*
κλυτόμαντι Πυθοῖ,
λίσσομαι Χαρίτεσ-
σίν τε καὶ σὺν Ἀφροδίτᾳ,
ἐν ζαθέῳ με δέξαι χρόνῳ
ἀοίδιμον Πιερίδων προφάταν.

Ad poetae preces Gratiae et Venus precibus se applicant (cf. illud *σύν* „in Begleitung"); quae igitur deae comites sunt poetae. *Ἀφροδίτη* una cum Gratiis commemoratur, cum carmen et poetam *ἐπαφρόδιτον* reddat.[3])

Poesis ipsa *Χαρίτων κᾶπος* pulcherrime nominatur:

O. 9, 27: . . . *εἰ σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ*
ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον·
κεῖναι γὰρ ὤπασαν τὰ τερπν(ὰ) . . .

---

1) Pergit scholiasta similem allaturus locum: *καὶ Καλλίμαχος·*
ἔλλατε νῦν, ἐλέγοισι δ' ἐνιψήσασθε λιπώσας
χεῖρας ἐμοῖς, ἵνα μοι πουλὺ μένουσιν ἔτος.
cf. quae adnotavit Schneider Call. II p. 387. — Gratias invocari e schol. Pind. apparet. Ex Aetiorum prologo fragmentum esse ostendit Schneider (p. 116). Poeta in prologo Gratias invocat, ut propitiae sint (*ἔλλατε*) et elegis suis manus splendidas abstergeant (qua re carmina quasi imbuunt vi laetificante, cuius deae sunt). Nam Gratiarum opera et auxilio per multa tempora durabunt carmina quippe laetificante vi imbuta.

2) Oxyr. pap. V pag. 41.

3) Wilamowitz, Sitzungsber. d. Berliner Ak. 1901, p. 1287.

ubi schol. (39 a): *Χαρίτων κᾶπον· τὴν ποιητικὴν λέγει, δι' ἧς ἔστι χαρίζεσθαι* (= laetitiam efficere).

Hymni *Χαρίτων καλλίστη δρόσος* nominantur:

I. 6, 63: *ἀνὰ δ' ἄγαγον* (sc. victoris propinqui) *ἐς φάος*
οἵαν μοῖραν ὕμνων
τὰν Ψαλυχιαδᾶν δὲ πάτραν Χαρίτων
ἄρδοντι καλλίστᾳ δρόσῳ.

Huc referendum est

O. 13, 19: *ταὶ Διονύσου πόθεν ἐξέφανεν*
σὺν βοηλάτᾳ Χάριτες διθυράμβῳ;

Gratiae *ἀοίδιμοι βασίλειαι* appellantur O. 14, 2.

Pulchritudo quoque laetos reddit homines; quam vim eius laetificantem Gratiae curant eaque vi ipsam pulchritudinem consummatam reddunt (cf. O. 14); auctores autem pulchritudinis non sunt. — Sed hac in re Gratiae apud Pindarum rarius conspiciuntur propter ipsam fortasse carminum naturam, cum rarius loquatur poeta de pulchritudine corporis. Tamen corporis formam curant:

O. 6, 76: *μῶμος ἐξ ἄλλων κρέμαται φθονεόντων*
τοῖς, οἷς ποτε πρώτοις περὶ δωδέκατον δρόμον
ἐλαυνόντεσσιν αἰδοία ποτιστάξῃ Χάρις εὐκλέα μορφάν.

cf. schol. (126 b): *εὐκλέα μορφὰν δὲ εἶπε διὰ τὸ περιβλέπτους εἶναι τοὺς νικῶντας καὶ ἐπιχάριτας καὶ λαμπρούς.* Hoc quoque loco Gratiam non ut deam venustatis commemorari apparet sed ut deam laetitiae victoria effectae, quae speciem victoris victoria sua laetantis insigniorem reddit.

Sed Pindaro quoque, ut reliquis poetis lyricis, Gratiae omnium earum corporis et animi virtutum deae fuisse videntur quae hominem venustum et amabilem reddunt; cf. hanc vocabuli *χάρις* significationem pag. 19 sqq. Quae earum natura in epiniciis quidem non invenitur, sed fragmentum exstat carminis in Theoxeni Tenedii pueri a poeta amati laudem facti fr. 123: . . . *εὖτ' ἂν ἴδω*
παιδὸς νεόγυιον ἐς ἥβαν· ἐν δ' ἄρα καὶ Τενέδῳ
Πειθώ τ' ἔναιεν καὶ Χάρις υἱὸν ⏑ — Ἁγησίλα.

Praeter has singulas res, quas Gratiae non efficiunt sed laetificantes consummant [1]), omnium laetitiarum copia Gratiarum apud Pindarum munus et opus est, ut ipse dicit:
O. 1,30: *Χάρις δ', ἅπερ ἅπαντα τεύχει τὰ μείλιχα θνατοῖς.*
In universum igitur vitae ornatrices sunt. — Pergit poeta:

ἐπιφέροισα τιμὰν [2]) *καὶ ἄπιστον ἐμήσατο πιστὸν*
ἔμμεναι τὸ πολλάκις.

Quod fit, si quis rem ita enarrat, ut laetitia afficiat eum qui audit. *χάρις.* rem incredibilem et debilem causam confirmat. Quam ob rem Hermesianax poeta deam *Πειθώ* esse unam e Gratiis dixit (Pausan. IX, 35, 5). —
fr. 75: *ἴδετ' ἐν χορόν, Ὀλύμπιοι,*
ἐπί τε κλυτὰν πέμπετε Χάριν, θεοί.
Di invocantur, ut ad ver rediens laete celebrandum Gratiam ipsam, laetitiae deam, mittant. Vere homines laetantur; pulcherrime igitur Gratiae cum vere coniunguntur. cf. Pervig. Ven. 50: „Praeses ipsa (Dione veris et amoris dea) iura dicet, adsidebunt Gratiae". cf. Ariphr. „*Χαρίτων ἔαρ*" (p. 62). Stesich. fr. 37 (p. 62). Ar. Pac. 797 (p. 69). Ar. Av. 1100 (p. 69).

Ne deos quidem sine Gratiis — nam laetitia et dis opus est — choros et convivia agere Pindarus dicit:
O. 14, 4: *οὐδὲ γὰρ θεοὶ σεμνᾶν Χαρίτων ἄτερ*
κοιρανέοντι χοροὺς οὔτε δαῖτας· ἀλλὰ πάντων ταμίαι
ἔργων ἐν οὐρανῷ.

Gratiarum Pindaricarum natura demonstrata iam videamus, quomodo vocabulo *χάρις* utatur hic poeta. Atque primum id observatione dignum est, quod neque substantivum *χάρις* neque adiectivum *χαρίεις* hominum apud eum venustatem et amabilitatem significant; vidimus Gratias quoque harum virtutum deas uno tantum loco, qui tamen in epiniciis non exstat (fr. 123), inveniri.

---

1) Excepto fr. 123; nam venustatem atque amabilitatem laetificantes hominum virtutes Gratiae laetificantes deae ipsae efficiunt.

2) „auctoritatem afferens", rebus scilicet narratis.

Apud Pindarum substantivum *χάρις* primo in universum omnino id quod laetitia afficit significat, ut P. 11, 58[1]), qui usus etymologia quoque principalis ac primarius est. Adiectivum quoque *χαρίεις*, quod duobus tantum locis invenitur, utroque loco in universum significat „id quod *χάριν* secum fert", i. e. quod laetificat:

P. 5, 107: . . . *ἔχοντα Πυθωνόθεν*
τὸ καλλίνικον λυτήριον δαπανᾶν
μέλος χαρίεν.

N. 3, 12: *χαρίεντα δ' ἕξει πόνον*
χώρας ἄγαλμα, Μυρμιδόνες ἵνα πρότεροι
ᾤκησαν.

ἕξει ad chorum referendum est, qui dum hoc carmen canit Aeginae ornamentum est; laborem laetificantem habebit canendo hoc carmen.

Praeter hanc universalem significationem singulas quoque et certas res laetificantes *χάρις* apud Pindarum significat, imprimis victoriam, quatenus laetitiam parat, et victoriae laetificantem vim et splendorem; cf. similem Gratiarum Pindaricarum naturam.

O. 1, 18: *ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου*
λάμβαν', εἴ τί τοι Πίσας τε καὶ Φερενίκου χάρις
νόον ὑπὸ γλυκυτάταις ἔθηκε φροντίσιν.

cf. schol. (29 c): *χάρις δὲ ἡ ἐπὶ τῇ νίκῃ ἡδονή.*

O. 8, 57: *καὶ Νεμέᾳ γὰρ ὁμῶς*
ἐρέω ταύταν χάριν,
τὰν δ' ἔπειτ' ἀνδρῶν μάχας
ἐκ παγκρατίου,

ubi scholia vel *χάριν νίκης* vel simpliciter *νίκην*, quod non accurate dictum est, interpretantur.

O. 10, 94: *τὶν δ' ἁδυεπής τε λύρα*
γλυκύς τ' αὐλὸς ἀναπάσσει χάριν·
τρέφοντι δ' εὐρὺ κλέος
κόραι Πιερίδες Διός.

---

1) Hunc locum pag. 35 interpretatus sum.

cf. schol. (115 b): *τρέφουσι καὶ αὔξουσι τήνδε τὴν χάριν τοῦ νικῶντος αἱ Μοῖσαι.*

O. 8, 80: *κατακρύπτει δ' οὐ κόνις*
συγγόνων κεδνὰν χάριν.

„victoriae gloriam laetificantem".

Ut Gratiae apud Pindarum cum carminibus coniunguntur ita carmina ipsa, quatenus laetitiam parant, *χάριτες* appellantur:

I. 3, 5: *εὐκλέων δ' ἔργων ἄποινα χρὴ μὲν ὑμνῆσαι τὸν ἐσλόν,*
χρὴ δὲ κωμάζοντ' ἀγαναῖς χαρίτεσσιν βαστάσαι.

Apud ceteros poetas lyricos Gratiarum natura similis est atque apud Pindarum: in universum vitae humanae ornatrices sunt, cum secum ferunt laetitiam qua deficiente vita perfecta et consummata (cf. *ἄνεται*) esse non potest; praeterea, cum haec vitae ornatio in singulas res dividatur, singulas quoque curant res laetificantes. Sed cum horum poetarum carmina, quae quidem ad nos pervenerunt, pleraque non propter victorias certaminibus partas facta sint, necessario Gratiae deae laetitiae victoriis effectae rarius inveniuntur, ut

Simonid. epigr. 148: *τῶν ἐχορήγησεν κύκλον μελίγηρυν Ἱππόνικος,*
Στρούθωνος υἱός, ἅρμασιν ἐν Χαρίτων φορηθείς,
αἵ οἱ ἐπ' ἀνθρώπους ὄνομα κλυτὸν ἀγλαάν τε νίκαν
θῆκαν, ἰοστεφάνων θεᾶν ἕκατι Μοισᾶν,

ubi tamen, cum de victoria musica agatur, dubium mihi videtur esse, utrum laetitiae victoria an poesi effectae deae intelligendae sint; utrumque videtur intelligendum.

Nam saepe inveniuntur Gratiae canentes et poesis artem laetificantem donantes:

Bacchyl. 5, 5: *ἦ σὺν Χαρίτεσσι βαθυζώνοις ὑφάνας ὕμνον ἀπὸ ζαθέας*
νάσου ξένος ὑμετέραν πέμπει κλεεννὰν ἐς πόλιν.

Quam ob rem apud hos poetas saepe cum Musis coniunguntur:

Sapph. fr. 60: *δεῦτέ νυν ἄβραι Χάριτες καλλίκομοί τε Μοῖσαι.*

Sapph. fr. 147 (ex Himerii or. XIII, 7): ... *Μουσηγέτῃ εἰκάζεσθαι οἷον αὐτὸν καὶ Σαπφὼ καὶ Πίνδαρος ... κύκνοις ἔποχον εἰς Ἑλικῶνα πέμπουσιν Μούσαις Χάρισί τε ὁμοῦ συγχορεύσαντα.*

Bacchyl. 19, 3: *πάρεστι μυρία κέλευθος ἀμβροσίων μελέων,*
ὃς ἂν παρὰ Πιερίδων λάχῃσι δῶρα Μουσᾶν,
ἰοβλέφαροί τε καὶ φερεστέφανοι Χάριτες βάλωσιν ἄμφι τιμὰν
ὕμνοισιν.

Musae artem poesis donant sive efficiunt, Gratiae carminibus *τιμὴν ἀμφιβάλλουσιν,* i. e. efficiunt, ut carmina ab hominibus magni aestimentur (cf. *τιμάν*), cum ea laetificantia reddentes quasi consummant. cf. Pind. O. 1, 30 (*ἐπιφέροισα τιμάν,* p. 58) et exemplum insequens:

Bacchyl. 9, 1: *δόξαν, ὦ χρυσαλάκατοι*[1]) *Χάριτες, πεισίμβροτον δοίητ', ἐπεὶ*
Μουσᾶν γε ἰοβλεφάρων θεῖος προφάτας
εὔτυκος ... ὑμνεῖν.

Theogn. 15: *Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διός, αἵ ποτε Κάδμου*
ἐς γάμον ἐλθοῦσαι καλὸν ἀείσατ' ἔπος·
ὅττι καλόν, φίλον ἐστί· τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστίν.
τοῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

Gratiae una cum Musis canentes inducuntur: carminis vim laetificantem praestant. Canunt in nuptiis: laetitiae deae in nuptiis celebrandis locum habent. Carmen ipsum sententia usum universali ad coniugum laudem videtur spectare.

In universum quoque vitae humanae ornatrices sunt: laetitiae ad vitam ornandam imprimis opus est. Theognis quod dicere vult omnes res laetificantes ab hominibus decessisse solamque remansisse Spem id ea exprimit ratione, ut Gratias ipsas terram deseruisse dicat (v. 1138):

Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποις μούνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν,
ἄλλοι δ' Οὔλυμπόνδ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν·

---

1) Pulcherrima imago Gratiarum aureo fuso stamina ducentium.

ᾤχετο μὲν Πίστις, μεγάλη θεός, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη· Χάριτές τ', ὦ φίλε, γῆν ἔλιπον.

Similique ratione Ariphro Sicyonius[1]) in paeane, qui Hygieae factus in lapide gravibus cum mendis inscriptus est (C. I. A. III 171[2])), sine valetudine laetitiam esse non posse his dicit verbis:

. . . μετὰ σεῖο, μάκαιρα Ὑγίεια[3]), τέθαλε καὶ λάμπει
Χαρίτων ἔαρ·[4])
σέθεν δὲ χωρὶς οὔτις εὐδαίμων ἔφυ.

Stesich. fr. 37: *τοιάδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων*
ὑμνεῖν Φρύγιον μέλος ἐξευρόντας ἁβρῶς ἦρος[5]) ἐπερχομένου.

Laeta sunt carmina popularia, quae vere redeunte canuntur; itaque *Χαρίτων δαμώματα* nominantur.

Apud Pindarum in carmine illo in Theoxeni laudem facto (p. 57) Gratiam venustatis et amabilitatis deam invenimus. Quae Gratiarum natura apud reliquos poetas lyricos creberrima est. Puellae vel pueri venusta forma et amabili animo praediti iisque virtutibus alios homines laetificantes a Gratiis nutriti dicuntur:

Alc. fr. 62: *κόλπῳ σ' ἐδέξαντ' ἄγναι Χάριτες, Κρίνοι.*

Ibyc. fr. 5: *Εὐρύαλε, γλαυκέων Χαρίτων θάλος*
* * * * (desunt quaedam)
καλλικόμων μελέδημα, σὲ μὲν Κύπρις
ἅ τ' ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν.

---

1) Ariphronem huius hymni auctorem esse praeter lapidem Athenaeus aliique testantur, Sextus Empiricus nonnullos versus qui eadem fere habent verba Licymnio tribuit; de necessitudine quae inter haec carmina intercedit Bergk (III, p. 596) disseruit.

2) Praeterea ab Athenaeo XV p. 702 A non plane iisdem verbis citatur.

3) Ὑγίεια Ariphro scripsit, cf. Meisterhans p. 43 et 39 (§ 27); lapis (saec. p. Chr. n. III) Ὑγεία.

4) cf. pag. 58.

5) cf. pag. 58.

Carm. pop. 44:

ὦ παῖδες, ὅσοι Χαρίτων τε καὶ πατέρων λάχετ' ἐσθλῶν,
μὴ φθονεῖθ' ὥρας ἀγαθοῖσιν ὁμιλίαν.

„pueri, qui Gratiarum opera venusti amabilesque estis atque e nobilibus orti estis patribus, nolite recusare, quominus boni (i. e. nobiles) cum iuventute vestra consuetudine coniuncti sint."

Lycophronidis fr. 2: . . . *ἐπεί μοι νόος ἄλλα κέχυται*
ἐπὶ τὰν Χάρισιν φίλαν παΐδα καὶ καλάν.

Quibus ex locis, ut servatum non esset fragmentum illud Pindaricum (fr. 123), tamen verisimillimum fieret Pindarum quoque ut ceteros poetas lyricos praeter Gratias illas quas in epiniciis invenimus etiam venustatis deas et amabilitatis quibus homo hominem laetitia afficit intellexisse et coluisse.

Vocabulum *χάρις* apud hos poetas similiter usurpatur atque apud Pindarum: vel in universum id quod laetitiam parat significat vel singulare quoddam rerum laetificantium genus, imprimis factum laetificans sive gratum (cf. prioris capitis initium).

Significationis universalis exempla sunt:

Theogn. 604: *ἀρχῇ ἔπι ψεύδους μικρὴ χάρις· ἐς δὲ τελευτὴν*
αἰσχρὸν δὲ κέρδος καὶ κακόν, ἀμφότερον
γίνεται.

Simonid. fr. 70: *οὐδὲ καλᾶς σοφίας ἐστὶν χάρις,*
εἰ μή τις ἔχει σεμνὰν ὑγίειαν.

cf. Ariphronis hymnum, p. 62.

In singulis autem rerum laetificantium generibus vocabulo *χάρις* significatis hoc mirum est, quod, quamquam Gratiae, si apud poetas lyricos singulas res curant neque omnino laetitiae deae sunt, praecipue venustatis, ut supra ostendi, et amabilitatis humanae sunt numina, vocabulum *χάρις* apud eosdem poetas ad formae venustatem et animi amabilitatem significandam rarissime usurpatur, uno scilicet loco, ubi repetitionis fortasse causa cum alia huius vocabuli significatione coniungitur:

Theogn. 1319 [1]): *ὦ παῖ, ἐπεί τοι δῶκε θεὰ χάριν ἱμερόεσσαν*
Κύπρις, σὸν δ' εἶδος πᾶσι νέοισι μέλει,
τῶνδ' ἐπάκουσον ἐπῶν καὶ ἐμὴν χάριν ἔνθεο θυμῷ,
γνοὺς ἔρος ὡς χαλεπὸν γίνεται ἀνδρὶ φέρειν.

Sed casu hoc effectum videtur esse; nam in adiectivo *χαρίεις* vocabulum *χάρις* apud hos quoque poetas saepissime venustatis notionem habet, ut

Tyrt. 12, 5: *οὐδ' εἰ Τιθωνοῖο φυὴν χαριέστερος εἴη* . . .
cf. Solon. 13, 40 (p. 21).

Cum Pind. I. 3, 5 (p. 60), ubi carmina ipsa, quandoquidem laetitiam parant, *χάριτες* appellantur, conferendum est Ionis epigr. 8:

χαῖρε μελαμπετάλοις, Εὐριπίδη, ἐν γυάλοισιν
Πιερίας τὸν ἀεὶ Νυκτὸς ἔχων θάλαμον·
ἴσθι δ' ὑπὸ χθονὸς ὤν, ὅτι σοι κλέος ἄφθιτον ἔσται
ἶσον Ὁμηρείαις ἀενάοις χάρισιν.

Adiciendum est vocabulum *χαρά* neque apud Homerum neque apud lyricos inveniri poetas.

Apud poetas tragicos in fabulis nobis servatis adiectivum *χαρίεις* non invenitur, quod tamen casui tribuendum videtur, nam invenitur in fragm. Eurip. 453.

Apud Aeschylum longe plurimis locis vocabulum *χάρις* factum significat quo alter alteri laetitiam vel parat vel remunerat [2]); uno loco est forma laetificans, venustas:

Ag. 417: *εὐμόρφων δὲ κολοσσῶν*
ἔχθεται χάρις ἀνδρί (Menelao scil. deserto ab Helena).

Gratiae deae apud Aeschylum non inveniuntur.

---

1) cf. pag. 19.

2) Accedunt loci ubi singulare quidem non sit factum sed condicio qua quis per singula facta laetitiam parat; cf. p. 18 sq.

Neque apud Sophoclem Gratiae in fabulis nobis servatis inveniuntur, sed ab Hesychio haec e Sisypho fabula citantur verba:

Χαρίτων τριζύγων (fr. 502).

Cum nihil nisi haec verba citentur, de natura harum Gratiarum nihil concludi potest. Nam ut Robert tres esse Gratias Atticas recte ostenderit, hoc loco utrum Gratiae Hesiodeae an Roberti Gratiae Atticae sint diiudicari non potest.

Ceterum simili ratione atque apud Aeschylum longe plurimis locis *χάρις* factum laetificans vel remuneratum factum laetificans significat, non venustatem.

Apud Euripidem omnes fere inveniuntur vocabuli significationes de quibus priore capite egimus.

Gratiae quoque deae saepius inveniuntur. Quarum principalem naturam Euripides plena vi intellexisse videtur: non singularis atque certae rei laetificantis deae ei sunt, ut Homero et, saepe quidem, Pindaro ceterisque poetis lyricis, sed omnino deae laetitiae, deae in universum laetificatrices:
Hel. 1341. Chorus de Magnae Matris luctu locutus erat, quae Proserpina filia rapta fruges ceterasque res non iam largita est hominibus:

ἐπεὶ δ' ἔπαυσ' εἰλαπίνας
θεοῖς βροτείῳ τε γένει,
Ζεὺς μειλίσσων στυγίους
Ματρὸς ὀργὰς ἐνέπει·
βᾶτε, σεμναὶ Χάριτες,
ἴτε, τᾷ περὶ παρθένῳ
Δηοῖ θυμωσαμένᾳ
λύπαν ἐξαλλάξατ' ἀλᾶν,
Μοῦσαί θ' ὕμνοισι χορῶν.

Pulcherrime ipsas Gratias, laetitiae deas, praeter cetera numina — nam aliae deae postea nominantur — a Iove poeta narrat missas esse, ut laetitia afficerent lugentem deam.

Musae una cum iis mittuntur: carminibus laetam redditam esse Magnam Matrem paulo post narratur.

Bacch. 414. Chorus Baccharum ut in alias veniat regiones (nominat complures) cupit:

ἐκεῖ Χάριτες, ἐκεῖ δὲ Πόθος·
ἐκεῖ δὲ Βάκχαις θέμις ὀργιάζειν.

„ibi ipsae deae laetitiae sunt", omne igitur laetitiarum genus ibi invenitur.

Phoen. 788: *ὦ πολύμοχθος Ἄρης, τί ποθ' αἵματι*
καὶ θανάτῳ κατέχῃ, Βρομίου παράμουσος ἑορταῖς;
οὐκ ἐπὶ καλλιχόροις στεφάνοισι νεανίδος ὥρης
βόστρυχον ἀμπετάσας, λωτοῦ κατὰ πνεύματα μέλπῃ
μοῦσαν, ἐν ᾇ Χάριτες χοροποιοί[1],
ἀλλὰ . . . κῶμον ἀναυλότατον προχορεύεις.

Gratiae, laetitiae deae, effectrices sunt saltationis *(χοροποιοί)* qua laetitia aperitur. — *χαροποιοί,* quod exstat in codicibus deterioribus, Gratiarum nomen iam perspicuum iterum explicat, quod ineptum est atque partem imaginis his versibus descriptae omittit.

Hipp. 1147. Chorus Hippolyto in exilium misso Gratias invocat:

ἰὼ ἰὼ συζύγιαι Χάριτες
τί τὸν τάλαν' ἐκ πατρίας γᾶς
τὸν οὐδὲν ἄτας αἴτιον
πέμπετε τῶνδ' ἀπ' οἴκων;

Wilamowitz hoc loco Gratias illas quas Robert Atticas esse vult *Θαλλώ, Αὐξώ, Καρπώ* intelligit et ex his nominibus deas interpretatur. Sed ut Roberti contra Pausaniam argumentatio recta sit, tamen nulla re apparet, cur illas Gratias hoc loco intelligi necesse sit, non Hesiodeas vel omnino Gratias certis nominibus carentes. Itaque e nominibus dubiis ultro insertis locus explicandus non est, sed e Gratiarum nomine a poeta nominato. Gratiae invocari mihi videntur,

---

1) cf. pag. 50 adn. 1.

quod deae sunt omnium earum virtutum et corporis et animi quibus homo placeat; Hippolytus iuvenis erat quo omnes laetarentur (cf. Germanicum „ein Mensch, an dem man seine Freude haben kann").

Herc. 673: *οὐ παύσομαι τὰς Χάριτας*
Μούσαις συγκαταμειγνύς,
ἁδίσταν συζυγίαν.
μὴ ζῴην μετ' ἀμουσίας,
αἰεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην.

Gratias miscere inter Musas est: Musarum opera talia canere carmina quibus vis quaedam insit laetificatrix. Wilamowitz animi grati notionem per Gratias significari ratus partem tantum naturae earum interpretari mihi videtur; nam cum chorus tum ipse poeta, qui hoc loco per chorum suam aperit sententiam, affirmare vult se, quamquam ad senectutem sibi invisam et laetitia carentem (cf. *λυγρόν* v. 649 totamque stropham priorem) pervenerit, tamen in carminibus suis hanc animi tristitiam aperturum non esse, sed, ut antea (cf. *οὐ παύσομαι),* laeta cantaturum neque desperationi cessurum. Quae carmina ea quoque re quod gratae beneficiorum remunerationes sunt laetitiam efficere possunt iis qui beneficia illa fecerunt.

Cycl. 581. Cyclops ebrius loquitur.

ὁ δ' οὐρανός μοι συμμεμειγμένος δοκεῖ
τῇ γῇ φέρεσθαι, τοῦ Διός τε τὸν θρόνον
λεύσσω τὸ πᾶν τε δαιμόνων ἁγνὸν σέβας.
οὐκ ἂν φιλήσαιμ'· αἱ Χάριτες πειρῶσί με.
ἅλις Γανυμήδην τόνδ' ἔχων ἀναπαύσομαι
κάλλιστα, νὴ τὰς Χάριτας. ἥδομαι δέ πως
τοῖς παιδικοῖσι μᾶλλον ἢ τοῖς θήλεσιν.

Gratiae quippe quae laetitiae deae sint venusta forma praeditae sunt (cf. Gratias Homericas, p. 49 sqq.), praesertim cum in hominibus quoque amabilitatem animi et venustatem corporis curent. Qua de causa Cyclopi ebrio imprimis idoneae videntur esse quae morigerae sibi ultro se offerant meretricum

more (cf. nomen *Χάριτες* cum vocabulo nostro „Freudenmädchen"). Inculto atque barbaro et Cyclopi et ebrio haec Gratiarum interpretatio, quae voluptatem tantum corporis respiciat, condonanda.

Apud Aristophanem quoque omnes fere vocabuli *χάρις* usurpantur significationes, similiter atque apud Euripidem. Adiectivo *χαρίεις*, quod apud poetas tragicos rarissimum est [1]), Aristophanes saepe utitur.

Saepissime apud eum inveniuntur Gratiae. Plurimis locis ea numina sunt quae vitam humanam exornant laetitiam afferentes. Atque apud eum poetam qui tot locis pacem desideret et ex pace omnia bona et laeta adepturos esse cives suos speret laetitiae deas saepius cum pacis numinibus coniungi consentaneum est:

Ach. 989: *ὦ Κύπριδι τῇ καλῇ καὶ Χάρισι ταῖς φίλαις ξύντροφε Διαλλαγή,*
ὡς καλὸν ἔχουσα τὸ πρόσωπον ἄρ' ἐλάνθανες.

Pac. 456. Trygaeus pro Pace liberanda et ad homines reducenda his numinibus vota fieri iubet:

Ἑρμῇ [2]), *Χάρισιν, Ὥραισιν, Ἀφροδίτῃ, Πόθῳ.*

cf. schol.: *δικαίως προέταξε τὸν Ἑρμῆν ὡς αἴτιον τῆς ἀναγωγῆς τῆς Εἰρήνης. καὶ τῶν ἑξῆς δὲ εἰκότως ἐμνήσθη ὡς ἁρμοδίων αὐτῇ· ἐν γὰρ τῇ εἰρήνῃ τούτων ἀπολαύουσι πάντες.*

Av. 1320. Chorus urbem avium modo conditam laudat:

τί γὰρ οὐκ ἐν ταύτῃ
καλὸν ἀνδρὶ μετοικεῖν;
Σοφία, Πόθος, ἀμβρόσιαι Χάριτες
τό τε τῆς ἀγανόφρονος Ἡσυχίας
εὐάμερον πρόσωπον.

Gratiae una cum Quiete aliisque deabus nominantur quae in quietis tantum rebus versantur.

---

1) cf. pag. 64.
2) cf. pag. 36 adn.

Lysistr. 1279. Chorus Atheniensium carmen quo pacem mulierum opera confectam celebrat his incipit verbis:

πρόσαγε χορόν, ἔπαγε Χάριτας[1],
ἐπὶ δὲ κάλεσον . . . (sequuntur complura numina)
. . . *εἶτα δὲ δαίμονας, οἷς ἐπιμάρτυσι*
χρησόμεθ' οὐκ ἐπιλήσμοσιν,
ἡσυχίας πέρι τῆς μεγαλόφρονος,
ἣν ἐποίησε θεὰ Κύπρις.

Gratiae primo loco nominantur: laetitias reducunt in civitatem.

Pac. 797: *τοιάδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων*
τὸν σοφὸν ποιητὴν
ὑμνεῖν, ὅταν ἠρινὰ[2] *μὲν φωνῇ χελιδὼν*
ἑζομένη κελαδῇ, χορὸν δὲ μὴ 'χῃ Μόρσιμος
μηδὲ Μελάνθιος.

Hoc loco Aristophanes carmen Stesichori imitatur; cf. quae pag. 62 ad Stesich. fr. 37 adnotavi.

Av. 1100. Loquitur poeta de vita avium:

χειμάζω δ' ἐν κοίλοις ἄντροις
Νύμφαις οὐρείαις ξυμπαίζων·
ἠρινά[2] *τε βοσκόμεθα παρθένια*
λευκότροφα μύρτα Χαρίτων τε κηπεύματα.

κηπεύματα Χαρίτων fructus sunt qui tantopere avibus placent et tam grati sunt, ut in horto ipsarum dearum laetitiae provenisse videantur. Antiquae fortasse illius naturae dearum quae naturam curantes laetitia afficiunt homines hoc loco memoria remansit.

Praeter hanc naturam universalem singularis quaedam rerum laetificantium pars iis obtingit apud Aristophanem: sunt deae venustatis et amabilitatis. cf. Homerum et poetas lyricos. Ut apud Homerum hac in re cum Venere coniunguntur:

---

1) cf. Pind. fr. 75, p. 58.
2) cf. pag 58.

Eccles. 974. Adulescens puellam amatam nominat

ὦ χρυσοδαίδαλον ἐμὸν μέλημα, Κύπριδος ἔρνος,
μέλιττα Μούσης, Χαρίτων θρέμμα, Τρυφῆς πρόσωπον.

cf. Alcaei fr. 62, p. 62.

Pac. 41. Servus de scarabaeo loquitur:

χὤτου ποτ' ἐστὶ δαιμόνων ἡ προσβολὴ
οὐκ οἶδ'. Ἀφροδίτης μὲν γὰρ οὔ μοι φαίνεται,
οὐ μὴν Χαρίτων γε.

Ut apud alios poetas Gratias et Musas coniunctas invenimus, ita apud Aristophanem:

Av. 781. Loquitur poeta de cycnorum volantium agmine:

πᾶς δ' ἐπεκτύπησ' Ὄλυμπος·
εἷλε δὲ θάμβος ἄνακτας· Ὀλυμπιάδες δὲ μέλος Χάριτες Μοῦσαί τ' ἐπωλόλυξαν.

fragm. 314 (Dind.): *μήτε Μούσας ἀνακαλεῖν ἑλικοβοστρύχους*
μήτε Χάριτας βοᾶν εἰς χορὸν Ὀλυμπίας·
ἐνθάδε γάρ εἰσιν, ὥς φησιν ὁ διδάσκαλος.

Cum poesi, cuius vim hominibus gratam significant, Thesm. 122 coniunguntur, ubi Agathonis chorus canit:

(sc. *ἀείσατε . . .*) *Λατώ τε, κρούματά τ' Ἀσιάδος*
ποδὶ παράρυθμ' εὔρυθμα Φρυγίων
δινεύματα Χαρίτων.

Φρύγιαι Χάριτες Gratiae sunt quae Phrygum musicam et saltationes curant.

De Thesm. 300, ubi non Aristophanis sed veteris precationis verba afferuntur, pag. 48 egi. — De Nub. 773, ubi Socrates iurat „*σοφῶς γε, νὴ τὰς Χάριτας*“, una cum simili quodam loco Platonico disseram.

Apud Platonem quoque vocabuli *χάρις* usus idem fere est atque apud Euripidem (p. 65) et Aristophanem (p. 68). — Magis quam apud ceteros scriptores apud eum in aperto est *χάρις* illa ad aliquid insuper accedens, de qua pag. 23 sqq. disserui; exempla sint de leg. II. p. 667 B (hunc locum interpretatus sum pag. 23—26) et de re publ. VII p. 528 C

(pag. 29). Quanti a Graecis aestimata esset *χάρις*, quomodo nisi ea accedente rem perfectam fieri non posse iudicavissent, pag. 26 sqq. demonstravi. Quod Graecorum iudicium apud Platonem praecipue in adiectivi *χαρίεις* usu apparet:

Artifices, oratores, philosophi quod sint *χαρίεντες* laudantur vel tum cum nos laudem sapientiae eorum vel expertae artis exspectamus:

Lach. p. 180 D: *διδάσκαλον μουσικῆς, Ἀγαθοκλέους μαθητὴν Δάμωνα, ἀνδρῶν χαριέστατον οὐ μόνον τὴν μουσικήν, ἀλλὰ καὶ τἆλλα ὁπόσου βούλῃ ἄξιον συνδιατρίβειν τηλικούτοις νεανίσκοις.*

Polit. p. 300 B: *παρὰ γὰρ οἶμαι τοὺς νόμους τοὺς ἐκ πείρας πολλῆς κειμένους καί τινων συμβούλων ἕκαστα χαριέντως συμβουλευσάντων καὶ πεισάντων θέσθαι τὸ πλῆθος . . .*

epist. XIII p. 360 C: *Ἑλίκων . . . μαθητὴς δὲ Εὐδόξου καὶ περὶ πάντα τὰ τοιαῦτα πάνυ χαριέντως ἔχων.*

Ea virtus est quae virum liberali educatione usum decet, i. e. urbanitas atque politior humanitas. *οἱ χαριέστεροι ἄνθρωποι* sunt homines eruditi („die Gebildeten"), qui vulgo opponuntur: Hipparch. p. 229 B: *λέγεται δὲ ὑπὸ τῶν χαριεστέρων ἀνθρώπων καὶ ὁ θάνατος αὐτοῦ γενέσθαι οὐ δι' ἃ οἱ πολλοὶ ᾠήθησαν, διὰ τὴν τῆς ἀδελφῆς ἀτιμίαν τῆς κανηφορίας, ἐπεὶ τοῦτό γε εὔηθες, ἀλλὰ* . . . — De Hipparchi nece loquitur Socrates; vulgi de huius necis causa sententiam ut stultam impugnat hominumque eruditorum *(τῶν χαριεστέρων ἀνθρώπων)* sententiam laudat.[1])

---

1) Huc referendae videntur esse illae *χαριέστεραι* vel *χαριέσταται ἐκδόσεις*, quae in scholiis Homericis saepius occurrunt: cf. Wolf, Proleg. p. 179 et adnot. 43. — Schol. A ad Il. 2, 52 lectio harum editionum laudatur, quod sit *„ἀστειοτέρα"* quam lectio earum quae appellantur *κοιναί*; aliis quoque locis opponuntur editionibus *κοιναῖς*. cf. *οἱ πολλοί*, quorum sententia loco illo Hipparchi ut stulta vituperatur. — Ut illae *κοιναί* ita editiones *δημώδεις* saepius melioribus editionibus, velut Aristarcheis, opponuntur. Itaque *χαριέστεραι ἐκδόσεις* videntur fuisse editiones elegantiores

Deinde *χαρίεντες* ii quoque sunt qui non una in re separatim elaboraverunt, sed omnibus artibus ingenuo homine dignis perpoliti sunt[1]:

Amator. p. 135 D: *ὡς εἰκὸς ἄνδρα ἐλεύθερόν τε καὶ πεπαιδευμένον ἐπακολουθῆσαί τε τοῖς λεγομένοις ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ οἷόν τε εἶναι διαφερόντως τῶν παρόντων καὶ αὐτὸν συμβάλλεσθαι γνώμην, ὥστε δοκεῖν χαριέστατον εἶναι καὶ σοφώτατον τῶν ἀεὶ παρόντων.*

Cum illa *χάρις* non nisi recta efficiatur educatione quae et corpus et animum respicit, ex ea quae corpus tantum viresque curat educatione *ἀχαριστία* oritur, quam inter alias res vituperandas enumerat Plato

de re publ. III p. 411 D: *μισόλογος δή, οἶμαι, ὁ τοιοῦτος* (qui corpus tantum curat) *γίγνεται καὶ ἄμουσος, καὶ πειθοῖ μὲν διὰ λόγων οὐδὲν ἔτι χρῆται, βίᾳ δὲ καὶ ἀγριότητι ὥσπερ θηρίον πρὸς πάντα διαπράττεται καὶ ἐν ἀμαθίᾳ καὶ σκαιότητι μετὰ ἀρρυθμίας τε καὶ ἀχαριστίας ζῇ.*

Ista *χάρις*, quae notio est in adiectivo *χαρίεις*, quanti a Platone aestimata sit, de re publ. X p. 605 B ostendit, ubi ea poesi quae tantum imitatoria sit Socrates insipientem dicit humani animi partem non sine magno sapientis partis damno confirmari et augeri; „aeque ac fit in civitate *(ὥσπερ ἐν πόλει), ὅταν τις μοχθηροὺς ἐγκρατεῖς ποιῶν παραδιδῷ τὴν πόλιν, τοὺς δὲ χαριεστέρους φθείρῃ.*“ — *οἱ μοχθηροί* proprie ii sunt qui onere *(μόχθῳ)* premuntur, infimae plebis homines; saepe autem, ut hoc loco, *μοχθηρός* „pravus“ est, similiter ac *πονηρός*, quod adiectivum a „*πόνος*“ ortum eandem accepit notionem. His opponuntur *οἱ χαρίεντες* „homines politiore humanitate imbuti“, qui iidem sunt boni et probi cives. In iis qui curis opprimuntur *χάρις* esse non potest; *οἱ μοχθηροί* Platoni iidem sunt atque *οἱ ἀχάριτες*.

---

maiore cura ab hominibus eruditis (i. e. hac in re: „a grammaticis“) expolitae. cf. Ludwich, Aristarchs homer. Textkritik (praecipue p. 13 et 46).

1) cf. Thucyd. II, 41 (p. 27).

Huc referendus est locus epist. VII (p. 335 B), ubi una cum aliis corporis voluptatibus amatoriam vituperat voluptatem *ἀνδραποδώδη καὶ ἀχάριστον, ἀφροδίσιον λεγομένην οὐκ ὀρθῶς, ἡδονήν*. — *ἀχάριστον* coniunctum cum „*ἀνδραποδώδη*" („servilis*") contrarium est illi *χαρίεις* quod dicitur de ingenuis hominibus.

χαρίεις igitur Platoni magis est quam „venustus" vel „amabilis"; est aliquid quod ad hominem perficiendum maxime necessarium est.

Similiter Gratiae quoque graviora ei sunt numina: ubi absunt, animus inconcinnus est atque perturbatus neque ad vitam recte degendam idoneus:

Tim. p. 47 C. Haec fere sententia est: Multa a dis accepimus dona quibus divinum naturae ordinem contemplantes et intelligentes nostra quoque vita imitaremur; quae inter dona ad eandem rem *(ἐπὶ ταὐτά)* a Musis nobis datus est numeri sensus *(ῥυθμός)*, quo animi nostri habitus, cum absente illo inconcinnus sit Gratiarumque expers, ordinaretur et iustis modis temperaretur: *καὶ ῥυθμὸς αὖ διὰ τὴν ἄμετρον ἐν ἡμῖν καὶ Χαρίτων ἐπιδεᾶ γιγνομένην ἐν τοῖς πλείστοις ἕξιν ἐπίκουρος ἐπὶ ταὐτὰ ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἐδόθη*. — cf. adiectiva *ἔμμετρος* et *εὔχαρις* simili ratione coniuncta in virtutibus philosophi ad civitatem administrandam idonei enumerandis:

de re publ. VI p. 486 D: *ἔμμετρον ἄρα καὶ εὔχαριν ζητῶμεν πρὸς τοῖς ἄλλοις διάνοιαν φύσει, ἣν ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντος ἰδέαν ἑκάστου τὸ αὐτοφυὲς εὐάγωγον παρέξει*. — De isto *εὔχαρις* cf. de re publ. VI p. 487 A (pag. 31).

Inter eas hominum virtutes quae laetitiam parant sagax quoque lepor qui delectat numeratur; cf. Demetrium, p. 30 sq. Cuius usus exempla imprimis apud Platonem inveniuntur:

de re publ. V p. 452 B: *οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, ἐπείπερ ὡρμήσαμεν λέγειν, οὐ φοβητέον τὰ τῶν χαριέντων σκώμματα*, ubi infra (p. 452 D) similiter dicitur: *ἐξῆν τοῖς τότε ἀστείοις πάντα ταῦτα κωμῳδεῖν*.

Theaet. p. 174 A: *ὥσπερ καὶ Θαλῆν ἀστρονομοῦντα . . . καὶ ἄνω βλέποντα πεσόντα εἰς φρέαρ Θρᾷττά τις ἐμμελὴς καὶ χαρίεσσα θεραπαινὶς ἀποσκῶψαι λέγεται, ὡς τὰ μὲν ἐν οὐρανῷ προθυμοῖτο εἰδέναι, τὰ δ' ἔμπροσθεν αὐτοῦ καὶ παρὰ πόδας λανθάνοι αὐτόν.*

cf. Eurip. fragm. 492: *ἀνδρῶν δὲ πολλοὶ τοῦ γέλωτος εἵνεκα ἀσκοῦσι χάριτας κερτόμους . . .*

et Epicharmi fr. 35, 3 (Kaibel):

τηνεὶ δὲ χαρίεις τ' εἰμὶ καὶ ποιέω πολὺν γέλωτα.

Huic notioni respondent Gratiae:

Theaet. p. 152 C: *ἆρ' οὖν, πρὸς Χαρίτων, πάσσοφός τις ἦν ὁ Πρωταγόρας καὶ τοῦτο ἡμῖν μὲν ἠνίξατο τῷ πολλῷ συρφετῷ, τοῖς δὲ μαθηταῖς ἐν ἀπορρήτῳ τὴν ἀλήθειαν ἔλεγεν;* — Gratias testatur, quod lepide et sagaciter (*χαριέντως*) fecerit Protagoras, cum, ut Socrates dicit, placita sua discipulis communicavisset arcana, profano autem vulgo aenigmatibus occultavisset; quod cum irrisione quadam dicitur.

Easdem deas simili in re idem Socrates obtestatur Aristophanis Nub. v. 773. Strepsiades quod ne in ius vocaretur excogitavit Socrati narrat; tum Socrates: *σοφῶς γε, νὴ τὰς Χάριτας.* — Socrates hoc Strepsiadis cogitatum satis inscitum et stolidum ut sapienter inventum laudat et per Gratias, lepidae sagacitatis deas, hanc laudem confirmat; risum igitur movet his verbis. — Verisimile est Socratem re vera hac exclamatione (*νὴ τὰς Χάριτας*) saepius usum esse notumque id fuisse Atheniensibus. Neque obliviscendum est Socratem Gratiarum imagines sculpsisse dici (Pausan. IX 35, 7).

Verbum *χαριεντίζεσθαι* et nomen *χαριεντισμός* apud Platonem singulari quodam usu de iocando dicuntur, seriis rebus opponuntur:

de re publ. IV p. 436 D: *οὐκοῦν καὶ εἰ ἔτι μᾶλλον χαριεντίζοιτο ὁ ταῦτα λέγων, κομψευόμενος ὡς οἵ γε στρόβιλοι ὅλοι ἑστᾶσί τε ἅμα καὶ κινοῦνται . . .*

Apol. p. 24 C: *ἐγὼ δέ γε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀδικεῖν φημι Μέλητον, ὅτι σπουδῇ χαριεντίζεται.*
cf. Apol. p. 27 A et 27 D.
Theaet. p. 168 D: *ἐπενόησάς που λέγοντος ἄρτι τοῦ Πρωταγόρου καὶ ὀνειδίζοντος ἡμῖν, ὅτι πρὸς παιδίον τοὺς λόγους ποιούμενοι τῷ τοῦ παιδὸς φόβῳ ἀγωνιζοίμεθα εἰς τὰ ἑαυτοῦ καὶ χαριεντισμόν τινα ἀποκαλῶν, ἀποσεμνύνων δὲ τὸ πάντων μέτρον, σπουδάσαι ἡμᾶς διεκελεύσατο περὶ τὸν αὑτοῦ λόγον;* de re publ. VIII p. 563 A: *οἱ δὲ γέροντες συγκαθιέντες τοῖς νέοις εὐτραπελίας τε καὶ χαριεντισμοῦ ἐμπίμπλανται, μιμούμενοι τοὺς νέους, ἵνα δὴ μὴ δοκῶσιν ἀηδεῖς εἶναι μηδὲ δεσποτικοί.*

Apud Demetrium iisdem vocabulis haec iocandi notio non subicitur; significant apud eum „aliquid *χαρίεν* reddere“, i. e. efficere ut aliquid delectet. —

Gratiae una cum Musis commemorantur de leg. III p. 682 A. Totius huius loci argumentum est: Homerus ea quae de oppido Dardania in montibus condito narrat, etsi quare in montibus conditum sit (ob magnae scilicet eluvionis ad id tempus recentem memoriam) nescit, tamen divino auxilio adiutus vera dixit atque ita ut facta sunt; nam poetarum divinum genus ea quae re vera evenerunt narrat Gratiis et Musis insuper accedentibus: *λέγει γὰρ δὴ ταῦτα τὰ ἔπη καὶ ἐκεῖνα, ἃ περὶ τῶν Κυκλώπων εἴρηκεν, κατὰ θεόν πως εἰρημένα καὶ κατὰ φύσιν· θεῖον γὰρ οὖν δὴ καὶ τὸ ποιητικὸν [ἐνθεαστικὸν [1]] ὂν γένος ὑμνῳδοῦν πολλῶν τῶν κατ' ἀλήθειαν*

---

1) *ἐνθεαστικόν,* quod codices exhibent, delendum esse censeo auctore Boeckhio. Qui in libro qui inscribitur „In Platonis Minoem eiusdemque libros priores de legibus“ de hoc loco disseruit. Nam *ἐνθεαστικόν* post *ποιητικόν* nullo modo in constructionem verborum inseri potest, sin autem transponitur ante *τὸ ποιητικὸν,* inepta evenit tautologia *θεῖον καὶ ἐνθεαστικόν.* Accedit quod apud ipsum Platonem nusquam reperitur hoc vocabulum, recentioribus autem Platonicis usitatissimum est. Verisimile igitur est vocabulum *ἐνθεαστικόν* ad *θεῖον* interpretationis causa glossematis loco ascriptum in textum invasisse.

γιγνομένων ξύν τισιν Χάρισιν καὶ Μούσαις ἐφάπτεται ἑκάστοτε. — Praepositione *σύν* („in Begleitung") manifestum fit Gratias et Musas h. l. non illud esse numen cuius auxilio poetarum narratio vera efficitur — nam haec sententia praepositionem *μετά* („vermittels", „mit Hilfe") postulat — sed eas deas quae rem ceterum divino quodam auxilio *(κατὰ θεόν πως)* ex vero narratam insuper exornant formae elegantia (qua elegantia Gratiae rem reddunt laetificantem gratamque hominibus) atque omnino carmine (carminum deae Musae sunt). Nam si ipsae Gratiae et Musae divinum illud numen essent cuius ope adiutus poeta vera narrat et propter quod *θεῖον* nominatur poetarum genus, notio illa divinitatis poetarum bis in hac sententia significata esset vocabulis *θεῖον*, quod locutioni proximae sententiae *κατὰ θεόν* respondet, et *ξύν τισιν Χάρισιν καὶ Μούσαις.* — Sententia igitur est: Cum divinum illud auxilium et divinitas illa poetarum narrationem effecisset veram propptereaque observatione dignam — id enim hoc loco agitur —, ad hanc veram quidem sed incomptam narrationem accedunt Gratiae et Musae, quae eam gratam reddunt et carmine exornant.

Quartus locus ubi Gratiae apud Platonem commemorantur epigramma illud est in Aristophanem factum (epigr. 29):

αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται
ζητοῦσαι ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

Quomodo Aristophanis fabulae afficiant animos hominum ea significat Plato ratione, ut ipsas dicat laetitiae deas, quae homines delectant venusta forma, amabili animo, lepida sagacitate omnibusque omnino rebus, animum eius elegisse, sibi ut esset templum aeternum.

Apud Callimachum nullam, quod ad usum vocabuli *χάρις* attinet, inveni proprietatem.

Gratiae commemorantur:

epigr. 51: *τέσσαρες αἱ Χάριτες, ποτὶ γὰρ μία ταῖς τρισὶ τήναις*
ἄρτι ποτεπλάσθη κἤτι μύροισι νοτεῖ.

εὐαίων ἐν πᾶσιν ἀρίζαλος Βερενίκα,
ἇς ἄτερ οὐτ' αὐταὶ ταὶ Χάριτες Χάριτες.

Berenicen quartam Gratiam nominat; qua re eam quoque laetitiae efficatricem esse dicit simulque venustam, ut Gratiae deae venustatis ipsae venustae sunt.

epigr. 32 [1]): *οἶδ' ὅτι μοι πλούτου κενεαὶ χέρες, ἀλλά, Μένιππε,*
μὴ λέγε, πρὸς Χαρίτων, τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί·
ἀλγέω τὴν διὰ παντὸς [2]) *ἔπος τόδε πικρὸν ἀκούων·*
ναί, φίλε, τῶν παρὰ σοῦ τοῦτ' ἀνεραστότατον.

Quae interpretor Vahleni et Reiskii interpretationes secutus: „Scio manus meas vacuas esse divitiis, at, Menippe, noli mihi, per Gratias te oro, narrare somnium meum (h. e. „noli mihi narrare quod nemo me melius novit atque ego semper cogito et curo); illo meo sempiterno dolore pungor, cum audio amaram hanc et acerbam mihi orationem; sane, amice, eorum quae abs te veniunt hoc est iniucundissimum et ab amore longissime remotum." — Poeta amatum per Gratias obtestatur; nam Gratiae amabilitatem consuetudinis curant, imprimis eius consuetudinis quae est inter amatum et amatorem; amatus autem si cum poeta de paupertate eius loquitur inamabilissimum se praebet.

Apud Theocritum adiectivum *χαρίεις* usitatissimum est in puella amata appellanda.

In carmine quod inscribitur *Ἠλακάτη* (carm. 28) poeta Niciam amicum suum appellat: *Χαρίτων ἱμεροφώνων ἱερὸν φυτόν.* — Gratiae Niciam procreaverunt, i. e. omnes ei eas dederunt virtutes quibus Theocrito placet laetitiamque parat (*χαρίζεται*).

---

1) Lectionem recepi traditam auctore Vahleno, qui de hoc carmine optime disseruit Ind. lect. Berol. 1889/90.

2) *τὴν διὰ παντός*, sc. *ἄλγησιν* (Vahlen: „illo meo sempiterno dolore pungor").

Theocriti carmen 16 inscribitur *Χάριτες ἢ Ἱέρων*. De huius carminis argumento et sententia optime egit Vahlen[1]). Qua de causa me ea tantum quae ad ipsam Gratiarum in hoc carmine naturam pertinent adicere opus est. — Post exordium pergit poeta:

(v. 6.) *τίς γὰρ τῶν ὁπόσοι γλαυκὰν ναίουσιν ὑπ' ἠῶ*
ἡμετέρας Χάριτας πετάσας ὑποδέξεται οἴκῳ
ἀσπασίως, οὐδ' αὖθις ἀδωρήτους ἀποπέμψει;

Poeta mortales (*ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν*) carminibus celebraturus statim interrogat, cui volenti id facturus sit, cui talibus carminibus laetitiam sit paraturus. Nam Gratiae sunt deae earum rerum quibus alter alterum laetitia afficit; hoc igitur loco carmina quibus poeta gratificatur curant, quin ipsam horum carminum vim laetificantem dearum imagine expressam significant. — Has Gratias suas semper imperfecta re redisse, cum nemo eas reciperet, tristesque domi consedisse, versibus 8—12 narrat. cf. Vahlenum: „In seine Grazien hinein legt der Dichter die Stimmung, die ihn selbst erfüllt nach erlittener Abweisung, aber so, dass zugleich die konkrete Vorstellung der Gedichte hineinspielt, deren volumina in ihren scriniis lagern, wenn niemand sie begehrt.“ Sententia igitur est carmina poetae, quibus gratificari volebat, nemini grata fuisse neque poetam ob hominum eius aetatis avaritiam pro hac gratificatione gratiam accepisse. Ipsorum tamen carminum deae non Gratiae sunt sed Musae — quae ipsae quoque in carmine commemorantur —; *Χάριτας* talia carmina poeta ea tantum de causa appellat, quod ad id ipsum facta sunt; ut eos quibus sunt facta laetitia afficerent; cf. v. 69:

δίζημαι δ', ὅτινι θνατῶν κ ε χ α ρ ι σ μ έ ν ο ς ἔνθω
σ ὺ ν Μ ο ί σ α ι ς.

Ipsum hoc carmen ad Hieronem missum eiusmodi est; qua de causa *Χάριτες* inscribitur. Hieroni se *κεχαρισμένον* ven-

1) Sitzungsber. d. Berliner Ak. 1884, p. 823 sqq.

turum esse *σὺν Μοίσαις* poeta sperat. In extremo carmine redit ad Gratias:

(v. 104) *ὦ Ἐτεόκλειοι*[1]) *Χάριτες θεαί, ὦ Μινύειον*
Ὀρχομενὸν φιλέοισαι ἀπεχθόμενόν ποτε Θήβαις,
ἄκλητος μὲν ἔγωγε μένοιμί κεν, ἐς δὲ καλεύντων
θαρσήσας Μοίσαισι σὺν ἁμετέραισιν ἴοιμ' ἄν.
καλλείψω δ' οὐδ' ὔμμε· τί γὰρ Χαρίτων ἀγαπατὸν
ἀνθρώποις ἀπάνευθεν[2]); *ἀεὶ Χαρίτεσσιν ἅμ' εἴην.*

Ad Hieronem venturus est cum Musis, i. e. veniet et carmina faciet. Neque Gratias relinquet, i. e. talia faciet carmina quibus ei cui facta sunt *χαριεῖται.* Nam nisi Gratiae adsunt, nihil — neque igitur Musarum opera — hominibus gratum et iucundum est. Musae igitur et Gratiae, quas multis locis coniunctas invenimus, hoc loco ita distribuuntur, ut Gratiae, quarum munera hoc carmine imprimis respiciuntur, ad finem totius ponantur carminis. Praeterea poeta per has Gratias eleganter Hieronem admonet, ut si has poetae *Χάριτας* recipiat ultro *χάριτας* referat poetae.

Hoc altero opusculi capite haec apparent: Gratiae eae deae sunt quae, ut nomen quoque earum docet, hominibus omnia ea largiuntur quibus laetificantur. Sed cum haec natura dearum in universum laetificantium nimium generalis parumque definita esset et varia rerum laetificantium essent genera, factum est, ut aliis temporibus et apud alios poetas aliae, ut ita dicam, partes naturae earum praevalerent praeter hanc universalem naturam ipsam, quae semper servata est.

---

1) schol.: *Ἐτεοκλέους θυγατέρας ἔφη τὰς Χάριτας, διὰ τὸ Ἐτεοκλέα τὸν Κηφισοῦ πρῶτον ἀποθῦσαι Χάρισιν ἐν Ὀρχομενῷ τῷ Μινυείῳ.* cf. Pausan IX, 35, 1.

2) cf. Gratias consummatrices, p. 26.

Posteris autem temporibus varietas illa naturae earum paulatim coartatur; praevalent Gratiae venustatis et amabilitatis deae, quales apud Homerum inveniuntur. Maxima illa auctoritate qua Homerus apud Graecos fruebatur effectum videtur esse, ut e numinibus quae omnia grata hominibus largirentur numina fierent quae praecipue unum gratum, venustatem sive corporis sive animi, largiantur et quae hanc venustatem non tam efficiant inter homines quam sua ipsarum natura (similiter atque apud Homerum) proponant. Tales eas Romani receperunt, tales usque ad nostra tempora in carminibus et imaginibus finguntur. In arte quoque haec earum natura posteris temporibus praevalebat. Cum usque ad tertium a. Chr. n. saeculum Gratiae longis vestimentis vestitae fingerentur (cf. Socratis Gratias), hac aetate Gratiae nudae inventae sunt; venustatis quae corpore et motu apparet notio arte exprimitur. Quae nudae Gratiae Romana aetate Gratias vestitas omnino summoverunt[1]. Similiter in poesi virgines venustae, amabiles hilariterque ridentes et saltantes sunt, quae artissime coniunguntur cum Venere et cum Amoribus[2]. Exempla, quorum in recentioribus Anthologiae Palatinae partibus magnus numerus invenitur, nonnulla e carminibus falso Anacreonti tributis sumpsi:

15, 28. Loquitur poeta de puellae amatae imagine:

τρυφεροῦ δ' ἔσω γενείου
περὶ λυγδίνῳ τραχήλῳ
Χάριτες πέτοιντο πᾶσαι[3].

4, 15: *χάρασσ'* (in poculo scil.) *Ἔρωτας ἀνόπλους*
καὶ Χάριτας γελώσας.

---

1) Pausan. IX, 35, 7.

2) cf. Plin. Nat. hist. XXXV, 141: „Nearchus Venerem inter Gratias et Cupidines“ (sc. pinxit).

3) cf. quae de his versibus dixit Lessing, Laokoon XXI.

42, 11: *ῥόδον, ᾧ παῖς ὁ Κυθήρης*
στέφεται καλοὺς ἰούλους
Χαρίτεσσι συγχορεύων.

Huc referenda est inscriptio Prienensis primi a. Chr. n. saeculi (No. 287):

Ἤγησα φθιμένην περ ⏑–⏑⏑ ης ῥοδόπηχυς
Ἠὼς μαξαμένη –⏑⏑–⏑ σατο,
καὶ Χάρις ἔστιλβεν περὶ χείλεα· χρύσεα δ' Αἰὼν
ἄνθηα βαιοχρόνου –⏑⏑ ἀντὶ βίου.

Ad haec verba Wilamowitz adnotat: „Das junge Mädchen hat im Tode noch die Röte der frischen Wangen und den Liebreiz des Mundes bewahrt, und die Gesellschaft, in der sie lebte, hat ihr einen goldenen Kranz aufgesetzt".

Vetus autem illa natura Gratiarum fertilitatis dearum, etsi usque ad ea tempora servata non videtur esse integra, tamen vestigia reliquit[1]). In artificiis Gratiae saepe flores vel fruges in manibus ferunt, qua de re O. Jahn in opusculo illo quod pag. 46 citavi egit. Sed apud poetas horum temporum haec earum natura non apparet. Itaque mihi quidem verisimile videtur esse has res e vetere consuetudine Gratiis tributas esse ab artificibus neque fertilitatis signa intellectas esse ab hominibus eius aetatis, sed venustarum puellarum ornamenta, ut Venus quoque flores nonnunquam vel mala vel columbam in manibus gestans fingitur; cf. puellae imaginem Theocr. 10, 34. Origo tamen huius consuetudinis, qua Gratiis pictis flores vel fruges attribuuntur, antiqua illa natura earum videtur esse.

Cum diutius iam occupatus essem in hoc opusculo, Maassius, quanta omnino erat benignitate, J. G. Herderi mihi indicavit commentationem quae inscribitur „Das Fest der Grazien" (tom. 18 operum eius, ed. Suphan., pag. 464 sqq.). Qua in commentatione Herder quomodo homines quidam

---

1) Fortasse huc referendus est Aristoph. Av. 1100 (p. 69).

diem festum egissent in honorem Gratiarum, quas effectrices esse intelligerent consuetudinis humanae gratificationibus grataque remuneratione servatae et auctae, postquam narravit, adnotationis loco de *Χάριτι* Graeca loquitur. Ingenio naturali et sensu quodam optimo, quem diligentissimis litterarum Graecarum, imprimis Pindari, studiis comparatam esse tota hac commentatione apparet, multa recte cognovit vel, ut ita dicam, divinavit, quae hoc opusculo testimoniis confirmantur. Gratias non solum venustatis fuisse deas, sed multo latius naturam earum patuisse, deas in universum laetitiae effectrices eas fuisse recte monuit. Neque tamen ad singulas res accessit et in Gratiarum natura interpretanda priore illa narratione, qua de Gratiis mores hominum curantibus loquitur (quas appellat „die sittlichen Grazien“), nimium commovetur, ut hanc earum naturam genuinam et principalem esse existimet [1]) eamque omnibus locis immiscere conetur notionem. Itaque Gratiae venustatis deae, quae gratificationes gratamque remunerationem non curant, quasi depravatae ei videntur atque otiosa ornamenta. Sin autem vocabuli *χάρις* significationem principalem exemplorumque copiam consideramus, inter res laetificantes non minus numeranda est venustas quam graviores illae notiones quas Gratiis suis inesse voluit Herderus.

1) Senecae locum e Chrysippo Stoico desumptum quem Herder tangit (de benef. I, 3, 4) in hoc opusculum non recepi, quod simile quidquam iis quae respexi temporibus non invenitur. Praeterea totus locus nimia subtilitate, qua non modo Gratiarum habitus sed etiam vestimenta e gratificationibus et beneficiis explicantur, allegoria Stoica potius videtur esse quam testimonium naturae earum qualis a Graecis intelligebatur. Tamen posterioribus illis temporibus Gratiarum natura e gratificationis et beneficiorum notionibus non raro explicata videtur esse; quod philosophorum factum esse auctoritate verisimile est. Exempla sunt praeter locum illum Senecae: Porphyr. Quaest. Hom. p. 195 (locum exscripsi pag. 50 adn. 2). Aristot. Eth. Nicom. E 8 p. 1133. Diodor. V, 73. Plut. Mor. p. 778 CD. Fulgent. Myth. II, 1 (p. 40 ed. Helm).

Appendix.

De lucendi notione quae radici χαρ inesse dicitur.

Usener in libro qui inscribitur „Götternamen“ (p. 131) *Χαρίτων* nomen e vocabulo Sanscritico „hari“ (i. e. „flavus“) interpretatus Gratias lucis caelestis deas quae fruges colunt atque alunt fuisse dicit. Hanc explicationem primus attulerat Maximilianus Müller, qui Solis equas, quas Indi „haritas“ („flavas“) appellabant, Gratiarum Graecarum originem esse affirmaverat. Cui adversati sunt Sonne[1]) et Curtius[2]) duo afferentes argumenta: neque ullam inter Gratias Graecas et Solis equas Indicas similitudinem esse, neque Gratias (*Χάριτας*) secernendas esse a substantivo *χάρις* ceterisque eiusdem radicis vocabulis (*χαρά, χαίρειν, χαρίζεσθαι, χαρίεις*), quae ex Solis equis explicari non possent. Itaque non id agitur, ut Gratiae Graecae ex animalibus quibusdam de Indorum mythologia petitis, quorum nomen idem, natura plane diversa est, explicentur, sed quae significatio primaria radici *χαρ* (Sanscr. „har“) subiecta sit anquirendum est.

Cuius autem radicis de significatione primaria viri doctissimi non consentiunt: Curtius notionem desiderandi (Sanscr. „haryāmi“) ei inesse affirmat, Bopp aliique notionem horrendi (Sanscr. „harsh“), quod voluptate et laetitia capilli horreant vel erecti stent, omnium horum vocabulorum originem esse putant, Sonne fervendi atque lucendi notionem ita ut horrendi significatio ex ea derivanda sit primariam dicit esse Curtii explicatione improbata. Sonnium secutus est Fulda, qui in libro qui inscribitur „Untersuchungen über die Sprache der

1) Kuhns Zeitschrift 10 p. 96 sqq.

2) Grundzüge der griech. Etymologie [5] p. 121.

homerischen Gedichte“[1]) vocabula θυμός et φρήν apud Homerum saepissime ad verbum χαίρειν apposita e primaria huius verbi significatione explicat, quam lucendi notionem esse sumit cum Sonnio; vocabula apposita necessaria fuisse, priusquam verbum χαίρειν primitus rem sensibus percipiendam significans in animi condicionem translatum laetandi accepisset notionem (χαῖρε δὲ θυμῷ „er glänzte im Herzen“). Talis translatio, qua corporis vultu ac specie significatur animi affectio, insolita quidem non esset[2]); tamen pro certo accipienda non videtur esse, cum Sonne neque Curtii sententiam certis confutaverit argumentis et lucendi notionem in radice „har“ Sanscritica inesse ex aliis tantum vocabulis („haras“ = fervor, ira. „hari“ = flavus) concluserit[3]). Quae autem vocabula Sanscritica cum Graecis vocabulis χαίρειν χάρις cohaerere alii viri docti omnino negant[4]). Immo vero Curtii sententia a Sonnio improbata, non confutata, nunc denuo probatur novisque confirmatur argumentis e ceteris linguis Indogermanicis petitis[5]): Graeca radix χαρ cum vocabulo Sanscritico „haryāmi“ („desidero“ „amo“), Umbro-Osco „heriest“ („volet“) „heris“ („vis“), Theodisco „gêron“ (cf. „gern haben“ „seine Freude haben an etwas“) coniungitur.

---

1) I. „Der pleonastische Gebrauch von θυμός, φρήν und ähnlichen Wörtern“ p. 21 sq. et 194 sqq.

2) cf. verba κυδαίνειν et γηθεῖν e lucendi in laetandi significationem translata (Fulda p. 150); cf. „heiter“.

3) De hac re me docuit vir doctissimus ac linguae Sanscriticae peritissimus Geldner, professor Marpurgensis, cui hoc quoque loco gratias ago maximas.

4) cf. Hirt, Bezzenb. Beitr. 24 p. 243.

5) Hatzidakis, Streitb. Idg. Forschungen 11 p. 316.
Fröhde, Bezzenb. Beitr. 5 p. 285.
Hirt, „ „ 24 p. 245.
Hoffmann, „ „ 26 p. 141.
Reichelt, „ „ 26 p. 270.
Prusík, Kuhns Zeitschr. 35 p. 598.
Ehrlich, „ „ 38 p. 92.
Walde, Lat. etymol. Wörterbuch p. 289 s. v. „horior“.

Omnibus autem his vocabulis notionem inesse non modo desiderandi, sed etiam laetandi, i. e. eius affectionis notionem qua animus ut aliquid desideret commoveatur: quae laetitia nos afficiant, quae grata nobis sint, ea nos desiderare[1]).

Hac in quaestione, quae in ceteris linguis Indogermanicis magis quam in lingua Graeca versetur, cum nihil pro certo affirmare possem, varias virorum doctorum sententias rettuli; in vocabulo *χάρις* explicando Gratiarumque natura interpretanda has res satis incertas omisi, Graeca respicere satis habui. Nam ut vocabulis *χαίρειν, χαρά, χάρις, χαρίζεσθαι, χαρίεις* radix insit quacum notio primaria coniuncta erat lucendi, tamen apud Graecos res sensibus percipienda in animi condicionem translata laetandi notionem accepit; ex hac notione *Χάριτες* Graecae interpretandae sunt. Apud Indos haec translatio facta non est, sed e notione lucendi (si recta sit Sonnii sententia) adiectivo „hari" color flavus significatus est atque „haritas" appellatae sunt Solis equae lucentes. In Gratiis igitur Graecorum explicandis non „haritas" Indorum nobis respiciendae sunt, sed ea quae Graeci de Gratiis suis existimabant et Graeci vocabuli *χάρις* significatio.

Ceterum quod ad linguam Graecam attinet, et Sonnii et eorum qui post Sonnium hanc quaestionem tractaverunt sententia recta esse potest. Si recentiores sequimur, qui notionem laetandi iam in radice Indogermanica insitam esse omnes fere uno ore consenserunt, his vocabulis ea qua apud Graecos usurpantur significatio impertitur. Sin autem cum Sonnio lucendi notionem primariam esse putamus, apud Graecos translatio statuenda est. Notio lucendi non aliena est a laetandi notione: animi laetitia lucente corporis, imprimis oculorum, specie significatur (cf. Fulda); accedit quod multi inveniuntur loci ubi *χάρις* per imaginem ut res quae lucet intelligitur:

---

1) Vocabulum eiusdem radicis Litavicum „gerėjůs" (cf. *χαρι̯ω*) eadem ratione atque Graecum *χαίρω* laetandi significationem servavisse ostendit Reichelt l. l.

Il. 14, 183: ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν (Iuno) ἐντρήτοισι λοβοῖσιν
τρίγληνα μορόεντα· χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλή.
cf. Od. 18, 298: ἕρματα δ' Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν
τρίγληνα etc. . . . (pag. 21).
fragm. lyr. adesp. 139: Τύχα, . . . ἅ τε χάρις
λάμπει περὶ σὰν πτέρυγα χρυσέαν.
inscr. Prien. 287: καὶ Χάρις ἔστιλβεν περὶ χείλεα (pag. 81).
Ibyc. fr. 5: Εὐρύαλε, γλαυκέων[1]) Χαρίτων θάλος (pag. 62).
Eur. Med. 982: πείσει χάρις ἀμβρόσιός τ' αὐγὰ πέπλον
χρυσότευκτόν τε στέφανον περιθέσθαι (pag. 21).
Eur. El. 192: . . . χρύσεά τε χάρισι προσθήματ' ἀγλαΐας (p. 20).
„aureaque gratiis tuis additamenta nitoris", i. e. aurea ornamenta quae addantur ad nitorem gratiarum tuarum.

Quibus exemplis non probatur vocabulo χάρις lucendi inesse notionem vel Gratias deas lucem ferentes esse, sed ostendere conabar, quam arte inter se coniungerentur laetitiae et lucis notiones.

In adiectivo χαροπός explicando si Sonnium sequimur, radicis χαρ primariam notionem lucendi servatam esse integram statuendum est: χαροπός „cuius oculi lucent". Sed ne hoc quidem vocabulum recentiorum sententiae obstat, siquidem laetitiam non modo tranquillam intelligimus laetitiam („fröhliche Stimmung"), sed etiam laetam alacritatem („freudiger Mut" [2]): χαροπός „cuius oculi laetam alacritatem aperiunt" lucida scilicet specie.

---

1) Gratiarum ipsarum originem cum numinibus quae lucem curant coniunxit Antimachus; cf. Pausan. IX, 35, 5: Ἀντίμαχος δὲ οὔτε ἀριθμὸν Χαρίτων οὔτε ὀνόματα εἰπὼν Αἴγλης εἶναι θυγατέρας καὶ Ἡλίου φησὶν αὐτάς. — Usener nomen unius e Gratiis Hesiodeis Ἀγλαΐαν huc pertinere monet (Götternamen, p. 135). Quemadmodum meo iudicio arcessendum esset hoc nomen ad naturam Gratiarum explicandam p. 52 ostendi.

2) cf. equum proelii cupidum descripturus quomodo Lutherus verterit Iob. 39, 21: „es ist freudig mit Kraft."

Index locorum.

Vita.

Otto Loew Borussus natus sum Cambergae, in oppido Nassoviae, a. d. V. Non. Iul. anni MDCCCLXXXV patre Adolpho, matre Sophia e gente Schüssler. Fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum elementis instructus postquam per quattuor annos patrii oppidi scholae „Höhere Knabenschule“ quae vocatur discipulus fui, ab anno prioris saeculi IC gymnasium frequentavi Dillenburgense, quod tunc a Christiano Langsdorf regebatur. Vere anni h. s. IV. maturitatis adeptus testimonium ut studiis me dederem philologis atque historicis almam matrem adii Tubingensem, cuius per sex menses civis fui. Universitatum Marpurgensis per bis senos menses (inde ab autumno anni MCMIV usque ad insequentis anni autumnum), Berolinensis per sex menses (annorum MCMV-VI) postquam fui civis, vere anni h. s. VI. Marpurgum reversus per hos continuos annos studiis operam navavi. Examen rigorosum superavi a. d. VI. Kal. Iun. Usque ad diem promotionis Marpurgi versatus sum.

Docuerunt me viri doctissimi Tubingenses: v. Below, Bohnenberger, Busch, Jacob, v. Lange, v. Schwabe, Spitta, Triepel; Berolinenses: Baginsky, Breysig, Dessau, Diels, Fritsch, Helm, Kekule v. Stradonitz, R. Lehmann, Lenz, Ed. Meyer, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorff, Winnefeld; Marpurgenses: André, Birt, Bock, Cohen, Glagau, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Menzer, Mirbt, Natorp, Niese, v. d. Ropp, Sieveking, Stengel, v. Sybel, Thiele, Thumb, Varrentrapp. Proseminario philologo ut per bis senos menses interessem, concesserunt Kalbfleisch, Maass, Thiele; ut seminarii philologi per bis senos menses sodalis essem ordinarius, humanitate effectum est Birtii, Kalbfleischii, Maassii directorum. Exercitationibus benigne me admiserunt historicis per bis senos menses Klebs et v. d. Ropp, per senos menses Glagau, Jacob, Niese, philosophis per bis senos menses Natorp, palaeographicis per sex menses Stengel.

Quibus viris omnibus gratias ago maximas, praeter ceteros autem Maassio, qui ad hanc materiam tractandam me invitaverit atque insigni humanitate semper et consilio et opera me adiuverit.